

colum? de eius etia  
 ce de p picius: ut a  
 annua solentate la  
**D** martiri tui a  
 tus qui nos  
**hinc** sustus ut palm  
**Stephani pape et**  
 quos proficendo  
 participatione reco  
 quozu memoriam  
 quimus omnipote  
**Alia cor**  
 piamus. p. certa red  
 gem? ut quod pia  
 nosse: ut quod pia  
 mine questum do  
 precioso sanguinis  
**Complend.** O orp  
**Oratio de apst**  
 fidum crecat et ga  
 tractamus: quibus  
 martiri honore de  
**Q** omnia domine  
 nos semp et mima  
**O** blati tibi sacrifi  
 pios

de apostolis. **Collera.**  
 Thunctio. **per totum** k yrieleto.  
**Ad vincula sancti petri offic.**  
 ista desideria compleantur. p.  
 fieri et vicia nostra purgentur: et  
 huius domine operatione my  
 Desunt in moralia. **Lob. Per**  
**om.** recordie dona cocillet. p.  
 tatis ad soluat: et tunc nobis mite  
 rimus: et vincula nostre prau  
 tum naturalia recedentes offe  
 domine quam sanctorum tuo  
 deus. **Sect.** Nostia hec quam  
 persequitur. **Ab** Abrahams  
 Descendens iesus. **Mel.** Lum  
 Alleluia. X. **Guth** aut. **Euangel.**  
**fol. dm. 220.** **St** loziosus deus.  
**Epla.** **St** ius agere debem?  
 itantibus habere. **Per** domini  
 ab omnibus merentur aduer  
 tuozu intercedentibus? meritis:  
 veniam peccatoz: ut sanctoru  
 comitibus: da famulis tuis iuozu  
 venendi copiosum mun? **Gre**  
 C

Capitulum  
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Capitulum  
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

D. 9.

D. 9.

**D**eus qui scitis tuos abdon **Evangelium**



THRENOLOGIA

De

BEATISSIMO QUI-

DEM; SED ECCLESIAE TAMEN

MULTIS NOMINIBUS TRISTISSIMO, ET

*tantum non hoc tempore ominoso Theo-*  
*logorum obitu:*

*Quorum*

SANE QUAM MULTI BREVI

temporis spacio, nec illi è multis morta-

lirati crepti cum desiderio honorum omnium  
ad plures abierunt;

TUM JUSTISSIMI LUCTUS TE-

*stificandi: tum animi erga desideratissimos pra-*

*ceptores suos minimè ingrati declarandi gratiâ*

*Scripta & publicè recitata*

*in*

*Incluta VVitebergensium Academia,*

M. CUNRADO RAUSCHARDO

VValtershusa--Thuringo.

*Excusa VVITEBERGÆ,*

*Typis VVolfgangi Meisneri.*

*Impensis Pauli Helvvigij.*

*Anno Christiano 1713 DCVIII.*

PRAESCRIPTIO  
Ad Lectorem Candidum,

Quem

SALVERE JUBEO.



QUOD SOCRATEM OLIM  
Amorem vituperaturum fecit esse  
accepimus: idem vellem hoc tempo-  
re mihi quoque facere licuisset, & ob-  
velatō capite oratiunculam istam,  
quā trepidè nunc emitto, habere, hoc est, habi-  
tam in scrinia recondere, atque, quod decretissi-  
mum mihi erat, æternis damnare tenebris. Non  
quidem ideo, quasi ejus me usque adeo pudeat aut  
pigeat, si modo rectè judicarunt præceptores mei,  
qui tamen plusculum, nisi fallor, intelligunt, quam  
ego, aut tu, aut alij nostri similes. Sed quia male-  
volorum susurros extimiscebam, qui à quo sibi jam  
temperant? haud multum absimiles parasit astris,  
de quibus ille apud Plautum:

In capte.

Quasi cum caletur, cochleæ in occulto latent,  
Suō sibi succō vivunt, ros si non cadit:  
Item parasiti rebus prolatis latent  
In occulto miseri, victitant succō suō,  
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.  
Prolatis rebus parasiti venatici

.Sumus;



58 11

Sumus; quando res redierunt, molossici,  
Odiosiciq; , & multum incommodistici.

*Quod si enim novi aliquid affigatur Bibliopo-  
lij valvis, ecce! Capito & Dento aliquis ingredi-  
tur, volvit illud, revolvit. Tum si unus atq; alter  
adeſt eruditior, nutante capite inter legendum  
subridere incipit, & ungue ad chartæ oram im-  
presso commonſtrat quoties una in pagina miſer il-  
le ſcriptorculus ſit lapſus, & quidem in leviſſimis  
graviſſimè. Atq; ita x̄iōw ſcilicet ſuam & ingenij  
acumen, non niſi aniculis antea, quibus fortassis li-  
teras legerat, notum, coram eruditis oſtentare  
vult carpendo alios, cum ejuſmodi ſuffenus ſepenu-  
merò ſtultior ſit ipſò barbarò Poticiò, & abundè ſa-  
tis habeat, quod domi in ſe carpere poſſit & da-  
mnare. Nam ſi periculum faceres in epistolari ar-  
gumento duntaxat, auſim ſponſionem facere, poſt  
probè demorſos ungues, & caput ſcalptum eruditis  
auribus ipſum dignum nihil prolaturum.*

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo,  
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Pers. ſat. 50

*Facile igitur potui abſq; Tiresia prævidere quæ  
judicia mihi parata & cenſuræ in novo hoc dicen-  
di argumento. Erit enim non nemo haud dubiè,  
qui me gloriolæ potius titillatione aliqua adductū,  
quam ſeria pietate impulſum finget ad præſtandum  
iſtud cum luçtu tanto præceptoribus meis officium.*

A 3

Cre-

Epist. 64.

Crederne verò huic Critico LECTOR, qui Rau-  
schardi ingeniolum nosti ab omni ambitione &  
Naturâ, & institutione alienissimum? Non cre-  
des, scio, si Phœbus ipse credendi autor. Et testabun-  
tur hoc illi, si opus, qui disciplinam meam forma-  
runt primùm in Thuringia, ex quibus honoris  
causâ nomino elegantiss. & multis charissimum  
ANDREAM VVILKIUM. Ac profectò ridi-  
cula mihi illa gloria, quam quis ex fletu velit & lu-  
ctu aucupari: licet dolori etiam suam ambitionem  
esse Sopho Romano haud illibenter largiar. Et sa-  
piè non fugit me scripturiente hoc seculo plurimos  
esse, qui quidvis etiam quoquo modo cōsutum char-  
tis illinunt, & typis evulgant, ut videlicet merca-  
tores piperis cucullos habeant, Bibliopole involu-  
era, & fuliginose coquæ tegumenta, quibus lepo-  
rum pedes muniant adversus ignis injuriam, si  
quando affigendi verubus sunt. Et tanti tamen  
sepenumerò faciunt pulchellum illum ingenij sui  
foetum, ut persuasum sibi habeant,

— secula posterosq; posse

Martial. lib.  
10. epigr. 18.

Arpinis quoq; comparare chartis,  
ut pœta illa huc referam: immò existiment, in-  
gentem facere Remp: literariam jacturam, si eum  
supprimant. Cum istis ego hoc modo nunquam vo-  
lui insanire, nec volo etiam. Noli igitur hic dentes  
imprimere, parce, parce mihi;

Ne

Ne perdas operam, qui se mirantur, in illos  
Virus habe, nos hæc novimus esse nihil,

Mart. lib. 130  
epigr. 20

loquor ex eodempœta. Cur ergo emittis, inquis  
ista? Emitto quidem, & ego quoque non meâ sponte  
in hanc scenam prodeo: sed, non mentior, invitatus  
protrahor partim amicorum & commilitonum  
meorum instinctu: partim suâsu eorum, quibus vi-  
te meæ rationes ultrò commisi. Quorum autori-  
tas utique apud me plus ponderis habere debuit,  
quam cachinni illorum, qui nisi quod ipsi faciunt,  
nil rectum putant. Contra Democritus aliquis  
ridebit, quod ego, quippe homo adhuc Catecheticus  
(ita enim quibusdam per cavillum hodiè Theolo-  
giæ studiosos appellare lubet) tantum mihi sumam,  
ut nescio quæ dira & dura Fata patriæ ominari  
ausim ex unius atque alterius concionatoris morte:  
quasi is sim, qui sentiat

— tripodas, Clarj lauros, & sidera —

Vergil. 3. Æn.

Et volucrum linguas, & præpetis omina penna.

At ego ex animo testor tale quid ne quidem in-  
mentem mihi venisse unquam. Nam si quisquam  
est, cui Ecclesiæ & patriæ salus cura ac cordi, ego  
meum quoque nomen profiteor. Scio enim in ea no-  
stram omnium sitam. Sed tristissimum istum &  
sine exemplo tot ac tantorum Theologorum obitum  
deslere volui, & debuisse me iure mihi videor, quem  
quod ominosum esse dixi, Scripture oraculis con-

A 3

firmatus

in Hipp. Co-  
rona.

*firmatus feci, quae quando sefellere? Aliàs cum  
Euripidea Nutrice fateor. & <sup>μαρτίς ἐπι, τὰ φανή γυνώ-  
σαι σαφώς.</sup> Audacter igitur certi nihil pronuncia-  
vi: quin potius pro avertendis malis si quae impen-  
deant, D E U M serio sum precatus. Et quae dixi  
ego, non dubito bonos omnes cogitare: Qui verò  
felicitatis aliquid subesse putat, ille sanè vel Roma-  
norum Imperatori de Turcis victoriam pollicea-  
tur: vel Ecclesiae persuadeat generalem Iudaeorum  
conversionem, & sibi propitiam Venerem, me à ni-  
hil interest. Ego certè in hoc tristi casu non potui  
manus sustollere, & ingeminare Obe jam! Ari-  
stippo olim Corinthum naviganti, & ortà tempe-  
state timenti naufragium, Crassus quidam, homo  
militaris ob id insultabat: & cur inquit, vos Phi-  
losophi, qui mortem non formidandam predicatis,  
in discrimine expallescit, nos indocti non time-  
mus? Cui ille: non de pari anima tibi mihiq, cu-  
ra ac metus est. Idem volo ego quoq, meo Crasso  
responsum: non de pari morte nobis cura ac me-  
tus est, si Theologi moriantur, & si tu, ac tui si-  
miles, qui numerus tantum estis, & fruges consu-  
mere nati. Sperare quidem optima, & petere et-  
iam à Deo possumus: pessima tamen timere debe-  
mus, ut ad strenuam cum omni sorte pugnam tan-  
quam pugiles parati inveniamur. Sed enim ego  
hic tacere debui, & audire alios? Inconspete!  
indi-*



indignaris si subortò in vicinia incendiò servus  
tuus in eodem tecum constitutus periculo id tibi si-  
gnificet, & non Consul? Alij alia invenient que  
carpant. Quid autem ego quod opponam? Aliud  
nihil præter preces. Te igitur LECTOR, qui-  
cunq;, ubicunq; es, rogatum volo, ut si quid vel  
in rebus, vel verbis deprehendis minus aptè à  
me usurpatum, minus rectè in loco colloca-  
tum, ignoscas homini ad ignoscendum cuivis  
paratissimo. Da hoc ætati meæ; da Humanitati  
tuæ & equitati, si quæ in te: da huic temporì. In  
cæteris me tibi titulus excusaverit. Threnolo-  
giam enim duntaxat esse volui. Utinam! verò es-  
set tanta, quantà digni sunt illi magni viri, quos  
fleo. Sed qualis — ea demum — cunq; sit, in lucem  
nunc do, & memoriæ illorum consecro, hac spe fre-  
tus in luctu non considerari verborum profectum;  
sed lugentis affectum. Quem profectò tantum in  
me esse affirmare queo, quantus cadere in homi-  
nem piū & non ἀσέβητον planè potest. Cætera Va-  
le, quisquis es benivole LECTOR, & Domi-  
num messis nobiscum ardentè invoca, ut opera-  
rios in messem suam mittat dignos & fideles, quo-  
rum operâ sermo Dei currat & clarificetur. An-  
nue ò supreme Rex! qui potes omnia, qui vides  
omnia.

Illu-

Illustri & Generoso, nec san-  
guinis tamen magis, aut Natalium: quam  
virtutum splendore incluto Do-  
mino, Domino

IOACHIMO ANDREÆ  
SCHLICKIO, Comiti à Passaun/ & Weis-  
sentirchen / Domino in Zwihana  
& Turnowa,

DEDICO CONSECRQUE.

**M**EREDO EGO INCLUTE HE-  
ros, non tuam solum Clementiam mira-  
turam; sed alios etiam, & in primis eos,  
qui ceteris curiosiores sunt & moroso-  
res, indignaturos, quod istam sive threnologiam, si-  
ve neniam & concinnare voluerim, & illustri no-  
mini tuo dedicare. Qua in parte tantum abest,  
ut novi aliquid, & prater opinionem meam fieri  
existimem, ut, si contra fiat, ipse sim miraturus ve-  
bementèr. Non enim ignarus adeo sum hujus se-  
culi, & qui in eo, morum, ut nesciam in quam va-  
ria judicia & voces incursum sit hoc meum fa-  
ctum. Prævidi Catones istos, & animum etiam  
meum adversus eos ita obfirmavi, ut eorum sibilos  
nō pluris sim facturus, quam si in publica via eam,  
canum latratum, vel gingritum anserum. Qua-  
propter

propter ijs nullo jure me obstrictum judico, ut bu-  
jus facti mei rationem reddam. Scio enim, quam-  
vis reddam, me non posse efficere, ut effrenem suam  
linguam coerceant. Proinde indignentur illi quan-  
tum volent, & quamdiu volent; immò si ita ipsis  
lubet, rumpantur. Ego verò illorum causâ me non  
disrumpam. Sed tua Generositas, si rationis meæ  
viam cognoverit, & mirari desinet, opinor, &  
consilium nullum fuisse anteferendum meo judica-  
bit. Ac primùm quidem non fugit clementiam  
tuam quantis calamitatibus prematur, & tan-  
tum non opprimatur Ecclesia nostra Evangelica:  
quibus jam pondus adijcit tum novitas, tum diu-  
turnitas. Novitas in eo apparet, quod non exter-  
nis duntaxat malis, & in corpore affligitur am-  
plius, in quibus penè obduxit callum: sed internis,  
nec ijs vulgaribus; verùm talibus, quæ ad cor  
ipsius, ut sic dicam, penetrare videntur. Quo re-  
fero triste illud & acerbum Fatum, quod annis his  
proximis eam excepit, dum morte quidem non im-  
maturâ fortassis; sed intempestivâ tamē nimis suis  
fuit orbata defensoribus & fidelissimis, & charissi-  
mis. Theologos puto illos, quos habuit, eheu! ha-  
buit magnos & eximios. Quod malum eò est a-  
cerbius; quò majores fuerunt & plures, quos ami-  
sit, pauciores verò sunt, quorum operâ, quam fecit,  
jactura compensari queat. Epist. 92.  
B feli-

felicitatis nostrae solatium, si tantâ celeritate,  
adde & facilitate, repararentur cuncta, quantâ  
finiuntur, ut Seneca verba hic accommodem.  
Nunc incrementa lentè exeunt, festinatur in da-  
mnum. Et istud malum ipsa quoque adauget diu-  
turnitas: quippe quod annos quatuor integros &  
non interruptos durat. Posteaquam enim sum-  
mus ille Theologorû nostri seculi apex HUNNIUS  
fuit rebus humanis exemptus, alij eum semper sunt,  
si non hic apud nos VVitebergæ, alibi tamen apud  
alios, & quidem præclarissimi Theologi secuti,  
ut, quemadmodum inter eos viros: sic mortuus  
etiam agmen duxisse videri queat. Sed habet præ  
cæteris in primis VVitebergæ nostra quod hac in  
parte conqueratur. Ea siquidem non unius; sed  
quatuor Theologorum mortem luget, & quidem  
talium Theologorum, quibus hoc tempore pares  
dare paucos; superiores fortasse nullos possis. Id  
quod non minus verè, quam liberè dixerim. Nam  
cum jam maximam partem inflicti vulneris cic-  
atrix penè obducta esset, ecce! MTLII, eheu!  
cujus viri? quanti Theologi? mors eam nuper re-  
fricavit, atq; ita recenti isto, & tam gravi vulne-  
re, etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recru-  
descere cœperunt. Deum immortalem! quid hoc  
Numinis & ominis? Tot ac tantos viros tam bre-  
vi tempore ex amplexu Ecclesie eripi? Ita videli-  
cet est,

cet est, inter peritura vivimus, & perituri. Nemo  
alterò fragilior est, nemo in crastinum sui certior:  
sed equat omnes cinis, impares nascimur, & vivi-<sup>Epist. 92.</sup>  
mus etiam impares, pares morimur, ut verè Roma-  
nus Sapiens. Verùm minimè nos hìc subsistere de-  
cet; sed mentes nostras sursum elevare, & mali  
hujus causam considerare diligentius, quam pas-  
sim nobis Scriptura monstrat. Est enim exemplum  
hoc ejusmodi, ut inveniri simile in universa anti-  
quitate nullum posse planè existimem. Megalander  
ille & princeps Theologorum nostrorum LUTHE-  
RUS non semel dixit, ac potius prædixit, futurum  
tempus illud, quò defuturi sint homines docti: &  
nisi colloquiorum mensalium compilator fallit, non <sup>Pag. 6.</sup>  
veritus est aliquando affirmare, tantam futuram  
Theologorum penuriam, ut illorum locò Ecclesia u-  
sura sit Ictorum operà. Ridiculū istud videri queat  
alicui hoc tempore, quò artes & disciplinas omnes  
cernimus constitutas quasi in fastigio, ita ut fieri  
istud non possit, nisi quis dicere velit, defuturas  
feminas, quæ homines pariant. At non existimo  
ego divinum illum virum in genere hoc de omni-  
bus, & mediocriter doctis pronunciasse, & intel-  
lectum voluisse; sed de eximie doctis, & quidem  
Theologis: nec de his tamen sine discrimine omni-  
bus; verùm de Theologis veris & sinceris, quo-  
rum hodiè non major ferè copia est in Germa-  
nia,

Sophocl. in  
Oedyp. tyran.  
Prov. 25, 11.

nia, quam cornicularum in Africa. Et profectò  
nisi misertus DEUS Ecclesie manum contineat,  
verendum nimis est, ne brevi sentiant posteri,  
quam verus vates hac etiam in parte LUTHE-  
RUS fuerit. Quod si quis presentium istarum  
calamitatum sensu non tangitur, neque ad secutu-  
rarum cogitationem horret, quas tamen avertat  
Altissimus, is profectò est πέντας ἀπόκομμι ἀτεγάρνω.  
Ego certè qui me pietatis studiosum, & Christia-  
num profiteor, pij & Christiani à me nihil alienum  
duxi. Cum autem πάντα τῷ καρῷ καλὰ, ut Tragicus,  
sive ut noster Sapiens inquit: mala aurea in lectis  
argenteis, qui loquitur verbum in tempore: in  
publico isto Ecclesie luctu neniã hanc conscribe-  
re volui, in qua quæ à me in summo dolore consti-  
tuto sunt tractata, ejusmodi esse spero, ut eadem  
piis & bonis omnibus in animo versari non dubi-  
tem. Sed præter istam causam publicam, alia et-  
iam accessit privata. Quidam enim inter eos fue-  
runt præceptores mei. Cum primis autem MYLII  
non solum publicã institutione: verùm domesticã  
etiam conversatione mihi frui aliquandiu licuit.  
Quæ quò mihi fuit jucundior: eò mors ejus accidit  
acerbior. Jam quidem rerum irrecuperabilium  
summam felicitatem esse oblivionem Fridericus  
Imperator dixisse scribitur: sed ut ingenuè fa-  
tear, subscribere ei ego jam planè non potui.

Φεῦ!

Φεῦ! τὸ θανάσιμον ὡς ταχεῖα τις βροτοῖς  
Χάρις διαρρεῖ, καὶ περὶ δὲσ' ἀλίσκηται,

*Apud Sophoclem Teucer admirabundus exclamat. In Ajac. Fla-*  
*Istud in me dici nolui. Oblivisci enim suorum, ait* <sup>gels</sup>  
*Seneca, ac memoriam cum corporibus efferre: Et* <sup>Epist. 100.</sup>  
*effusissimè flere, meminisse parcissimè, inhumani*  
*animi est. Sic aves, sic ferae suos diligunt, quorum*  
*concitatus est amor, Et penè rapidus; sed cum a-*  
*missis totus extinguitur. Hoc virum prudentem*  
*non decet. Meminisse perseveret, lugere desinat.*  
*Quis bonus igitur me reprehendat, si ei, cujus vel*  
*cineribus me plurimum debere fateor, posteriori*  
*officiò præstitò, prius etiam illud præstare co-*  
*ner. Vix autem tenaciùs non mihi solum, sed*  
*aliis etiam non ingratis memoriam ejus inbasu-*  
*ram animo putabam, quam sia, quæ intra priva-*  
*tos parietes dolor egresserat, congererem, Et typis*  
*publicis imprimi curarem. Præsertim flagitanti-*  
*bus hoc à me nonnullis ex ijs, qui me dicentem pu-*  
*blicè audierant.*

*Tibi autem illustris Et generose Comes, Do-*  
*mine clementiss. inscribere threnologiam istam*  
*volui, non alij: ut cum prodeundum ipsi in lucem ef-*  
*set Et conspectum hominum, Schlickiani, ut ita di-*  
*cam, Solis radiis collustrata squalorem suum non-*  
*nihil posset occultare, quos, nisi me opinio fallit, ei*  
*non inuidebis, cum iis jamdudum universam Mis-*

nam & Saxoniam compleveris. A quibus nondum ita totus ad Bojemos tuos discessisti, quin calorem eorum adhuc sentiant. Sentiunt profectò, & sentient tam diu, quam diu Ruta fruentur, quam tu fovisti, veluti umbraculo, hoc est, diutissime: id quod boni omnes unice in votis habent. Ac quotusquisq; est, qui auditò saltem Schlickianò nomine, illud sibi, quocunq; modo possit, conciliare nolit? Habet quidem per se ordo vester illustris splendoris & admirationis aliquid: sed eò fieri splendidior solet & admirabilior, quò clariori virtutis ac doctrinæ luce illustratur. Quid autem ad perfectam virtutis & eruditionis laudem clementiæ tuæ deest? quippe quæ non, ut plerique viri illustres solent, Humanitatis ac literarum studia degustavit solum, & in aditu eorum constitit, sed adyta ingressa, omnem bonarum artium doctrinam reconditam ita scrutata est, ut multos qui totam ætatem in illis versantur, superare credatur. Cumq; turpe sibi duceret, in famulis duntaxat & ancillis more Homericorum procorum ardere, ad facultatem reliquarum omnium Reginam ac Dominam, Theologiam dico, novò exemplò se convertit, eamque, ut ita loquar, sibi despondit. Audeat in te aliquid versutus Jesuita aliquis, audeat vertiginosus Sacramentarius, audeat alius, sentiet



tiet qui cum sibi res sit. Novit Argentina, novit  
Fena nec obliviscentur Schlickiani nominis, quam-  
diu erit Theologiae nomen. Quod si plures essent  
hodie SCHLICKII, vel similes saltem ei, ne!  
Ecclesia. Sed ego in praesentia Clement. tuam lau-  
dare mihi non proposui: neque enim pro dignitate  
satis possem, & iniquum fuerit, culpam tenuitatis  
meae non attingentis fastigium tantarum virtu-  
tum, laudes earum quasi deteri. Non dubito igitur  
Generosus. tuam auditam tantorum Theologo-  
rum morte indoluisse, vel suspirasse saltem, atque  
ita super contritione Joseph, ut Prophetae verbis  
utar, aliquid esse passam. Idq; eò gravius, quò ar- Amos 6, 6.  
dentius eos, dum adhuc in vivis essent, amavit.  
Cui ergo istam neniā meam praeter C. T. mit-  
tere & offerre debui? Fortassis etiam hac de-  
dicatione meā Clement. tuae memoriam refri-  
cavero illius temporis, quò cum homines qui-  
dam majoris confidentiae, quam Sapientiae, Ec-  
clesiam in his regionibus turbarent, atque u-  
niversam ejus salutem veluti uno filo appende-  
rent, tuā DEUS & Theologorum horum ope-  
rā usus, pacem & tranquillitatem ipsi resti-  
tuit, quā etiamnum divino beneficiō fruitur.  
In quarum rerum cogitationem si incideris,  
non sine tacitā voluptate recordaberis haud dubiè  
colloquia

colloquia cum Theologis hisce tum habita, non jucunda solum tibi; sed etiam salutaria in omne ævum. Sed volui ego in primis hac inscriptione monumentum extare publicum clementiæ & favoris illius, quò Generositas tua complexa est avunculum meum JOHANNEM SCHELCHERUM bonæ memoriæ. Qui favor tuus fuit tantus, ut commémoratione ac verbis pro dignitate satis prædicari nequeat. Non enim

*Si chartæ sileant, quod benefeceris  
Mercedem tuleris — — —*

Horat. lib. 4.  
Od. 8.

canit Lyricus. Facio igitur jam, quod fecit ipse semper, & fecisset sæpius, si longior ei vita fuisset à Deo concessa, atq; istam tuam erga ipsum clementiam veneratione quadam recordor, ac recordatione veneror, ut bonis & doctis omnibus constet, esse adhuc inter magnates, & viros illustres, apud quos boni & docti in pretio. Quæ animi mei inductio, ac de Gener. tua singularis existimatione me fallat effice ô inclute Heros! atque in quo mihi perfugium omne situm est, scriptionis hujus tenuis & perobscuræ patrociniū suscipe, eamq; contra maligni livoris dentem defende. In simul etiam hominem TIBI non doctum quidem; doctrinæ tamen cupidum, & Clem. tuam humilimè venerantem commendatum habe, atque inter clientes tuos vel in extrema cera scribi cura: id  
quod

quod humilima animi subjectione precor. Ita Te  
DEUS cum illustri familia tua contra pericula  
omnia defendat, & pro misericordia benignitatis  
sue diutissime conservet ad gloriam nominis sui  
sanctissimi, & Ecclesie afflictissime fructuosum  
patrocinium, tum subditorum tuorum felicitatem.  
VVitebergâ Mense Augusto Anno reparata à  
CHRISTO Salutis. 1607.

Illust. Gen. tuæ sub-  
jectis.

M. Cunradus  
Kauschardt.

C R E-



RECTOR ACADEMIÆ VVITE-  
BERGENSIS

BARTHOLOMÆVS REVS-  
NERUS J. U. D. ET P. P.

**O**rationem habiturus est hodiè secundâ pomeridianâ virtute doctrinâq; insignis juvenis, CUNRADUS RAUSCHARDT VValtershufa-Thuringus, optimarum artium & Philosophiæ Magister. Ejus argumentum, ac potius summa ita habet: *Doctorem Ecclesiæ obitum hoc tempore ominosum esse.* Præclaram verò, & tractatione accuratâ, auscultationeque attentâ dignam materiam, & in qua consideranda studium ac tempus collocare operæ pretium sit. Illud scimus, autorem ipsum cum piè ac devotè: tum etiam, quæ non minor, & valdè rara laus est, doctè ac facundè egisse: hoc facere vestrum est, quibus Respublica, & ejus salus atque incolumitas cordi ac curæ est. Quo minus causam nos habemus, cur pluribus in præsentia hanc rationem persequamur, plenius ac planius omnia ex oratione cognituri. Ad cujus recitationem sive auscultationem ut frequentes conveniatis, & benevolentiam atque attentione ingenio crescenti, adque laudem & virtutem efflorescenti prolixè faveatis, quæ res ipsi ornamento, alijs incitamento sit, non sine causa censemus. Propositum festo Visitationis Mariæ. 1607.

Docto-

# Doctorum Ecclesiae obitum

hoc tempore omniosum esse.

**S**I VLLQ VNZVAM TEMPORRE  
vel auditione perceptum; vel compertum ex-  
perientia est, Ecclesiam Christianam inde usq;  
quo à teterrimà abominationum fuligine, operà  
magni illius, & verè ultimi hujus seculi Elia  
repurgata, densissimisq; superstitionum tenc-  
bris, quibus obducta tota erat, depulsis, clarissimà rursus Evan-  
gely luce collustrata fuit, graves plagas accepisse: Hoc profectò  
tempore vulnera eam accepisse insanabilia prorsus non sine a-  
cerbo doloris sensu omnes experimur, adeo ut vel maximè nunc  
locum habeant illa non in labris, sed in ipsis fibris nata querela:  
ò DEUS in qua nos reservasti tempora! Nam ut sileam tot  
tamq; diuturna partim intestina, quæ accendere quidam, nescio  
quibus agitati furis, dies noctesq; totis viribus allaborant: par-  
tim externa, quibus tot annos infestatur, infelicia bella: ut o-  
mittam infestissimorum cælestis veritatis hostium, quæ adversus  
eam ardent frendentq;, rabiem; ut præteream alia infinita, quæ  
perpeffa fuit, & adhuc perpetitur mala, quid per Deum immor-  
talem! de eo videtur vobis, quod brevissimi temporis spacio tot  
viros, at quales? quam pios! quam doctos! quam fideles &  
constantes sinceræ Religionis propugnatores! nonnullos qui-  
dem venerandâ senectute graves: quosdam verò etate adhuc,  
ut ita dicam, florentes immaturâ & festinâ nimis morte abre-  
ptos, tum piorum omnium luctu ac desiderio incredibili: tum  
totius Reip. Christianæ jacturâ vix recuperabili ex amine atq;  
cadavera terra mandari vel ipsi hic vidimus; vel alibi man-  
datos audivimus? O lubricam & instabilem rerum humana-  
rum conditionem! ò, durum & acerbum casum! Hæc nimirum  
plaga illa, hoc vulnus illud est, quod maximum, quod lethale,

C 2

quod

2. Reg 1, 19.

quod penè incurabile videmus Ecclesia in ipsa viscera adactum. Meritò lacrymis oculi omnium debebant madere, meritò omnia planctibus gemitibusque circumsonare, meritò undique querela & lamentationes exaudiri: Ceciderunt, ceciderunt incliti Israel, quomodo ceciderunt fortes! Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè latentur filia philisthim, ne exultent filia incircumcisorum. Etsi enim eà lege ad unum omnes hunc mundum intramus, ut aliquando nobis tanquam ex hospitio exeundum sit; siquidem commorandi nobis Natura hic diversorium concessit, habitandi locum non dedit: tamen tot summos viros, qui omnes docti, omnes sapientes, omnes Theologi, tam brevi tempore corporeis solvi vinculis, ex Ecclesia aspectu & complexu tolli, in terram condi, & quidem eo tempore, quo ipsi esse usui poterant maximo, hoc vero novum omninò est, & nescio num antea unquam auditum. Quanto autem id est insolentius: tanto majora damna portendere atque pericula, neminem vestrum esse opinor, quantum quidem ex vestro vultu conijcere possum, qui non in animo suo secum reputet. Quod si verò siccus aliquis ac durus Stoicus sit, qui gravissimo hoc atque acerbissimo Ecclesie casu non commoveatur; sed ut alia ira divina signa per transfennam veluti aspiciens stoccificiat, & tantum non derideat: dabitis mihi hinc veniam, accommodatam huic tempori, vestra humanitate non indignam, ut cum isto hominum genere de hac ipsa re paulo loquar liberius, & patiamini me in publico Ecclesie justissimoq; luctu luctuosà uti ad dicendum materià. Que si tibi mihi concedique sentiam, efficiam, vobis imprimis arbitris, ut quam ominosus nobis hoc tempore gravium atq; sapientum virorum, qui in Ecclesia sunt constituti, obitus sit, omnes intelligant, & si qui aliam opinionem conceperunt, eam hoc ipso in loco deponant. Et quia à mea tenuitate nihil proficisci posse video, quo beatissimis Mylij nostri, at heu nostri! manibus justa solvam, hac veluti publica lamentatione eos prosequar, atq; ita & hero, & Evergeta, &

ia, & praeceptori non de me solum optimè; sed de vobis etiam omnibus, de Ecclesia, de universa patria nostra praeclarissimè merito, ultimum officium prestabo. Quod etsi arduum & difficile mihi futurum animadverto: Tamen illo me suffulcio, quod non ad Lugdunensem arā mihi dicendū esse video; sed apud vos, auditores humanissimi, quos etiamsi tantum non effecero, quantum volo, melius conatum non improbaturus spero. Quod ut faciatis per vos, per humanitatem vestram, per sanctissimos Praeceptoris nostri cineres vos oro & obtestor.

**Q**uod in alijs casibus insolitis, atq; experientia & usu in hominum vita rarioribus fieri assolet, ut rei novitate & insolentia homines obstupescit atq; attoniti

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem

Pressit humi nitens, trepidusq; repente recurrit

Attollentem iras, & cærule colla tumentem,

Virgil. 2. Æneid.

aliter atq; aliter de ijs judicent, variasq; & diversas causas investigando conquirant, & consingant: Id ipsam etiam hoc tempore in magnorum virorum morte atq; obitu evenire, quotusquisq; sejunctus & remotus adeo ab hominum consortio latuit, qui ignoret? Est enim quoddam hominum genus, quo nomine appellem nescio sed est tamen odio atq; invidia ita lividum, ita ab omni humanitatis sensu alienum, ut voluptatem & letitiam majorem nunquam capiat, quam ex aliorum tristitia & rerum discrimine. Atq; ejus quidem tanta se vis exerit, ut cum secundum Tragici sententiam;

— γέλως ἠδὲ εἰς ἐχθρὸς γελᾶν,

conclusa teneri nullo modo possit; sed ex intimis sensuum penetrabilibus atq; recessibus catarrhacta instar prorumpat, seseq; ore, vultu, oculis, prodat. Hi nimirum illi sunt, qui pios & justos in derisum habent, atq; in opprobrii similitudinem. Hi illi, qui vitam illorum aestimant insaniam, & finem habent sine honore, quem licet videant; non intelligunt tamen, quid de ijs cogitaverit Deus, aut quod respectus in electos ejus. Hinc videas excurrere & exultare importunam eorum temeritatem: Atq; ut

Soph. in Aiac Flagel.

Sap. 5, 3.

Sap. 4, 16.

Græco-

Chrysof. de  
Sacerd.

Græcorum vulgus Hectoris interfecti corpus telis suis fortiter confixisse apud Homerum legitur: Sic audias illos pie defunctorum nomen ignominie probrisq; appetere: Auaias illos εν ταις ἀλλοθίαις συμφοραῖς suaviter scilicet & jucunde φιλοσοφείν, ut eleganter admodum Ioannes ille, cui ab aureo dicendi genere cognomen datum est, alicubi loquitur. Nonnullos etiam eò inhumanitatis prolabi experiare, ut carmen illud, quod monumenti loco à Minerva AEgistho, homini illi impuro positum Pœta canit, in sanctos viros ore plus quam impio evomant:

Odyss. A.

Καὶ λίην κείνός γε εἰκότι κείτα ὀλέθρω,  
ὡς ἀπόλοιτο ἢ ἄλλ᾽ ὅτις τοιαῦτα γε ρέζοι.

At enim indignum & immane facinus! quod nulla barbaries possit ignoscere, sic insultare mortuis, sic in eos debacchari, sic calumniari. Istos ego appellem homines? appellem Christianos? non possum, non debeo. In bestiis quibusdam, ut de Elephantis rerum naturalium scriptores memorant, ea est veluti pietas, ut sui generis mortuos nunquam praterant, quin ramò aut terrà eos tegant, manifestisq; indicis suum dolorem ostendent. Ab Ethnico quidem, sed ferè Christianè dictum est:

Soph. in A-  
jaco

ὦ ἄνθρωπε μὴ δεῖ τὴν τεθνηκότα κακῶς  
εἰ γὰρ ποιήσεις, ἰδίᾳ πημανέμεν.

Rom. 6, 23.

Isti autem sub humana specie bestiis immaniores sunt, sub Christiano nomine Ethnicis deteriores. iam quidem inficias fortasse nemo ibit mortem certo quodam respectu pœnam & esse & nominari posse. Hæc enim pœna illa est, quam æternus ille legislator promulgata lege primo homini propter violatum mandatum indicavit, ipsiq; ab ipso natis omnibus irrogavit, irrogat, irrogabit. Siquidem stipendium peccati mortem esse gentium Doctor asserit. Et quemadmodum communi illi peccato, cuius nemo expers est, communem hanc pœnam constitutam scimus: Ita singularia etiam peccata in hominibus eà punita fuisse, quis peregrinus adeo, & hospes esse in Sacris literis potest, quem fugiat? Sic duo filij Iudæ etate nandum juvenili à DEO extincti sunt.

Genes. 38. 7.  
& 10.



sunt, quia nequam fuerant in conspectu eius. Sic Propheta non <sup>3. Reg. 19, 24.</sup>  
nominatus interfectus est, quia contra jussu divinum fecerat.  
Sic Hananias de terra sublatus est, quia adversus Dominum <sup>Jerem. 28, 16.</sup>  
locutus fuerat. Sic Herodes lethali morbo percussus est, quia <sup>Act. 12, 23.</sup>  
divinos honores sibi fieri passus erat. Quid moror in re adeo  
manifesta, ut ne Ethnici quidem vel ignoraverint, vel negave-  
rint? Thales certe qui inter sapientissimos est relatus, qui ea  
etate floruerunt, interroganti cuidam Molpagora quid stupen- <sup>Plur. in Con-</sup>  
dum maxime in vita vidisset? Tyrannum senem respondit. <sup>vivo.</sup>  
Quid aliud voluit homo sapientissimus, quam eos, quorum vita  
scelerum sordibus esset inquinata, vita frui diu non posse? Hoc  
tamē semper fieri & perpetuo, nemo fortasse fuerit, tam in Deum  
impius, tam in homines injurius, tam à communi sensu alienus,  
qui asseret. Quot enim vidimus, & videmus quotidie ex im-  
pietate & flagitiis totos consutos, interim & diutissime viven-  
tes, & rerum omnium felici successu utentes? Quibus profecto <sup>Jerem. 12, 30.</sup>  
supremus ille Iudex connivere quasi videtur, ut lento gradu ad  
vindictam procedat, tarditatemq. supplicij gravitate compen-  
set. Abite igitur, abite, non audio vos, graphici nugatores estis,  
quicumq. de mortuis istud fertis iudicium. Quanquam enim  
sanctissimi etiam quig. viri propter tristissimum Protoplastorum  
lapsum, & quod inde in posteros omnes dimanavit peccatum,  
natura concedere necesse habent: Tamen ita eos obire experi-  
mur, ut saepenumero sine sensu mortis, sine dolore, nonnunquam et-  
iam cum gaudio & voluptate, ex hac vita discedant: Impius  
verò, quemadmodum in tota vita morte nihil fuit terribilius:  
Ita verè esse terribilis solet.

Vitaq. cum gemitu fugit indignata sub umbras:

Ut sic inter mortem utramq. tantum inter sit, quantum inter sup- <sup>Virg. 12, 42.</sup>  
plicium & solatium, quantumq. ipsa pietas differt ab impietate.

Illud verò impia superstitione, & superstitiosa impietate  
carere ne utiquam potest, magnorum virorum mortis causam ne-  
scio ex quo horoscopo metiri, si ve mentiri potius velle. Et in-  
venire

venire tamen est quosdam, qui alis ingenij sui expansis sese ex-  
tollunt, perennesq; illos Calorum orbis, & siderum inaequales cur-  
sus perniciose volatu scrutantur, atq; inde ut vita cujusq; initium;  
sic finem eiusdem, non aliter ac si ex Chaldaeorum schola pro-  
diissent, praedicere sibi arrogant. Atq; isti quidem, ut mihi vi-  
dentur, jam diu extinctas illas anus, penes quas rerum omnium  
dispensationem esse olim Poetarum grex finxit, ab inferis denuò  
revocant, & in ipsa astra collocant. Neq; verò hoc quisquam à  
me ita dici arbitretur, quasi omnè siderum vim atq; efficaciam,  
quam in inferiora haec exerere illa nemo non, cui sinciput sanum  
est, intelligit, sublatam velim. Quid enim in hominum vita  
frequentius, id quod non docti tantum sciunt; sed imperita etiam  
multitudo deprehendit, quam hoc vel illud à stellarum, siderumq;  
motu fieri & inclinatione? Etenim unde admiranda ista tem-  
porum series? Unde ista dierum noctiumq; vices? Unde men-  
sium annorumq; meta? Unde frugum, plantarum, aliarumq; re-  
rum è terrà nascentium proventus? Nonne à reliquorum lumi-  
num caelestium & duce, & principe, & moderatore Sole? Unde  
ista corporum humanorum varietas? Unde ingeniorum diver-  
sitas? Unde tot & tam varia unius anni decursu tempestates?  
Omnia, omnia ab astris & stellis. Neque ista tantum haud dif-  
ficulter concesserim; sed ne hoc quidem omnino negaverim, multo-  
rum fortuitorum eventuum, ut pestis, famis, bellorum causas esse  
positus stellarum: Id quod tum repetitis ex veteri memoria, tum  
vivis ac spirantibus adhuc exemplis possem confirmare, si hoc  
loco velim evagari latius. Sed quod dici potest breviter,  
quemadmodum magnam & singularem virtutem astris tribuo:  
Sic eam esse perpetuam & immutabilem fidenter dicam, hoc est,  
quod nego. Nam ne vaga nimis sit & libera oratio mea; sed ad-  
ductis habenis in hoc gyro maneat: Insignium nunc & magno-  
rum Theologorum mortem Ecclesia luget, eheu luget! eamne  
astris ascribendam putabimus, & sine eo, qui supra astra? Fatui!  
ne dicam impij, qui ita temerarie temerario illi subscribunt.

Materia

*Materia — datum cogi; sed cogere stellis.*

Manil.

*Non Christianorum hoc est, sed superstitione dementatorum  
Ethnicorum. Hinc illa apud Homerum Iovis querela auditur,  
quod Sarpedonem suum, cum maxime velit, contra fatum eripe-  
re à morte non possit. Nos verò, quibus divina veritatis splendor  
affulsit, longe scimus aliud, et potius festivi Poëta illud probamus:*

Iliad. 2.

*Vidit, non sanxit: Dixit, non fixit in astris  
Eventura Deus, non fas sit ut ista refigi.*

Taub. pag. 5.  
Melod.

*Nec tamen ob id intempestivis illorum querelis loci quicquam  
relinquitur, qui dum nihil ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil  
è divinis oraculis, nihil ne è puerilibus quidem disciplinis olent,  
mortis causam nescio cui casui ascribunt, qui in hoc pulcerrimo  
Mundi corpore liberè dominetur, Natura enim, Natura ista vox  
est, & quocumq; oculos animumq; convertas, mortalia, immor-  
talia, sublimia, terrena, animata, inanimata, clamant clarè &  
loquuntur, esse supra nos quiddam, quod hæc tam mira, tam ma-  
gna, tam multa creavit, creataq; etiam nunc dirigat, & secun-  
dum suum beneplacitum gubernet, ac conservet, atq; inter alia  
omnia, propter quem omnia facta sunt, hominem in primis,  
quem ob admirandam structuram sapienter admodum Græci  
illi sapientes  $\mu\eta\gamma\epsilon\theta\iota\sigma\mu\omicron\upsilon\nu$  nuncuparunt: Id autem DEUS est,  
quem commoda quibus utimur, lucem qua fruimur, spiritum  
quem ducimus, dare nobis & impertire, hominumq; omnium tam  
honorum, quam malorum rationem habere, quotusquisq; est, si  
modo aliquid, non dicam pietatis; sed sanitatis habeat, quem la-  
tere possit? Egregie ille, ut omnia, seu divine potius qui in  
mundi miraculum natus putatur Aristoteles;  $\delta\pi\epsilon\rho\ \epsilon\nu\ \nu\eta\iota$ , in-  
quit,  $\kappa\upsilon\beta\epsilon\rho\nu\eta\tau\eta\varsigma$ ,  $\epsilon\nu\ \alpha\epsilon\mu\alpha\tau\iota\ \delta\epsilon\ \eta\ \nu\iota\omicron\chi$ ,  $\epsilon\nu\ \chi\omicron\rho\epsilon\omega\ \delta\epsilon\ \kappa\omicron\rho\omicron\phi\alpha\iota\omicron\varsigma$ ,  
 $\epsilon\nu\ \pi\omicron\lambda\epsilon\iota\ \delta\epsilon\ \nu\omicron\mu$ ,  $\epsilon\nu\ \xi\epsilon\alpha\tau\omicron\pi\acute{\epsilon}\delta\omega\ \delta\epsilon\ \eta\gamma\epsilon\mu\omega\nu$ :  $\tau\acute{\alpha}\tau\omicron\ \theta\epsilon\omicron\varsigma\ \epsilon\nu\ \kappa\omicron$ -  
 $\sigma\mu\omega$ . Habetis Græca verba, ne quis in alterius errore coarguen-  
do errasse me existimet, latina s. lubet, accipite, ut omnes intelli-  
gant. Quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro  
præfatus, in exercitu imperator: Id in mundo DEUS est. Et*

De mundo  
cap. 6.

D

addit

addit simul divinus Philosophus hoc discrimine, quod illis laboriosum sit regimen, Deo autem sine labore & molestia se junctumque ab omni corporis nisu. Profana adhuc loquor, sacra si velim, Deus bone! quantus se mihi aperiret campus? quam exigui pretij sunt passeruli? At ne unum quidem eorum in terram cadere sine caelestis Patris nutu ea testantur. Quid vilius capillis nostris? At omnes numeratos DEO esse ea affirmant. Atque hoc est, quod illi, quorum animus verae pietatis praesidium est communitus, in omnibus periculis sibi solent ante oculos ponere, & contra omnes sortis iniquioris insultus tanquam Vulcanium plane scutum obijcere. Alphonso Arragonum regi memorie proditum est à magno quidem & illustri viro; sed nescio ob quam causam ipsi infenso dono missos fuisse aliquando Livij libros: Quod donum cum medicis & consiliariis, quippe ab hoste missum, videretur suspectum, putarentque, illud in Regis interitum venens imbutum, dissuadebant legi, auferri subito atque ab oculis regis aliquo asportari jubebant, vel quò cervi cornua: At ille librum manibus attrectans, legensque illum ac relegens? An ignoratis, inquit, regum animas non privatorum libidini subjectas esse; sed sub cura Dei securas & letas agere? O factum à Rege verè regium! o rem commemoratione dignissimam! de qua quoties cogito, toties animus admiratione defixus obstupescit. Intelligebat nimirum Rex sapientissimus, cum divina providentia regantur omnia, cor regis semper esse in manu DEI, qui regat, & quocumque velit, illud flectat, contra omnia hostium omnium consilia, & conatus. Et quisquam sit, qui praeter divini numinis voluntatem & dispensationem accidere, quicquam posse ipsi existimet, quos ipse Deus ad Ecclesiae suae gubernacula constituit? Quoties Propheta ille ab utero matris tam Iudeorum quam gentium doctor consecratus, quoties, inquam, in extremo vita discrimine fuit constitutus? Quoties verberatus à sacerdotibus? Quoties pulsatus à principibus? Quoties in carceres detrusus à regibus? Quoties à concitata plebe ad mortem postula-

Matth. 10, 29.

Zunigerus in  
Theat. Vol.  
21. lib. 4. p.  
33. 50.

postulatus? Inter tot tamen ac tanta pericula omnia invictus  
semper mansit divino cinctus presidio. Quid Daniele com-  
memorem cum Magis jussu interfici, coniectum in leonum fo-  
veam à multis ac potentibus adversariis petatum? Sed quid ista  
ipsi nocuerunt? A morte fuit liberatus, hostium injuriam in-  
trepidus contempsit, Dei defensionem ubiq; sensit, seipso factus  
semper clarior. Eant nunc impij Luciani illi, perfricent fron-  
tem, si quam habent, & piorum obitum tanquam à Deo vindi-  
ce illis inflictum supplicium calumnientur: Cum ex mortali vi-  
ta conditione ad immortalem: ex misera ad beatam, ex caduca  
ad eternam à Deo illos translatos sciamus. Eant superstitiosi  
Chaldei, & mortis causam ex astris fingant, cum Deus sit, in  
cujus manu sortes nostra. Eant queruli & nugigeruli Stoici  
illi, cæcòq; aut temerario impetu res humanas ferri misceriq; vo-  
ciferentur: Cum divina providentia & voluntate eas regi fide  
pro explorato ita habeamus, ut ne folium quidem ex arbore de-  
cidere, vel capillus ex hominum capite defluere sine ea possit,  
Deus enim, Deus, inquam, & non alius est, qui magnos viros &  
fideles Ecclesie ministros ex hac lachrymarum valle ad se in  
eterna vite gaudia avocet. Nam ab illo casus isti, & rerum  
vicissitudines tanquam scaturigine quadam primùm profluunt,  
quas vel miramur, vel, ut hominum est perversitas, indigna-  
mur. Omnia siquidem à Diis sunt, inquit Romanus sapiens, si  
ad primam originem revocentur: Et aurea veluti catena su-  
perne demissa est, ad quam hæc inferiora sunt alligata, uti fa-  
bul involucro Homerus indicat. Quod si cui leviora viden-  
tur isthæc, quam ut fidem illis habere queat, cum illo ego non ex  
Philosophia agam amplius, sed Theologia: Non Poëtarum fa-  
bulis, sed Propheturam oraculis. Ex quibus unum illud instar  
omnium esse potest, quod apud Amosem legimus: Nullum est  
malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Malum verò!  
dicat Democritus aliquis, concionatorem unum atque alterum  
mor, mirum nisi ob id jejunia instituis, & Servestanà impo-  
sterum

Senec. Epist.

24.

Iliad. 6.

Cap. 3, 6.



Cap. 37. &  
seqq.

posterum atque Cuculo nos abstinemus: Homines fuerunt, in hanc legem dati, hoc fatum ab utero statim prosequatur. Cœlum adhuc movetur, terra suum locum occupat, Sol oritur & occidit, Lunam nuper etiam vidimus, post illorum obitum nihil novi accidisse reperimus. Equidem quid quisq. faciat, aut facturus sit, mea nihil interest: Homines autem mori nec mirum, nec novum esse ipse non sum nescius. Sed tales homines, hoc est, Theologos, & quidem tot ac tantos Theologos, & tam brevi tempore mori, hoc ego mirum esse & novum planè statuo. Quà in re si mali aut diritatis nihil est, scire ego magnopere cuperem, quid sit, quod divina majestas apud Prophetarum coryphæum magnorum & insignium virorum obitum calamitatibus & pœnis publicis annumeret. Ecce enim, inquit Iesaias, dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem, judicem, & PROPHETAM, & ariolum, & senem. Audis ablaturum Deum Prophetam? audis ablaturum ariolos & prudentes? audis ablaturum senes?

Psal. 7, 17.

Hic igitur consisto, Auditores, in hoc pedem figo, hoc unum sum contentus, ut si nihil dicam amplius, causam dictam esse existimem, & nihil sit, si quis aliam anxie & frustra tamen scrutetur. Quod autem nullas adhuc rerum conversiones vidimus, est profectò quod agamus Deo gratias ingentes, atque utinam nullas omnino unquam videamus! Sed nondum dierum omnium Sol occidit, quod heri non factum est, potest hodie fieri, potest cras, potest perendie, potest post annum. Est enim Deus justus iudex, fortis & patiens, qui minatur diebus singulis, nisi convertuntur homines, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit visa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Et si maxime pœnarum, aut mutationum fatalium nihil portenderet tam insignium praeclarorumq. Theologorum obitus, pœnarum ego abundè satis esse

esse existimem, quod Ecclesia ipsis orbata in magna hac magnorum & verè Theologorum penuria, atq; ita tempore alienissimo fuit. Quod si inde jam digressi experientiam, & qua hujus testes sunt, annales consulimus, parem ubiq; sensum videmus & consensum. Cum anno 397. duo illi celeberrimi antistites, Ambrosius Mediolanensis, & Martinus Turonensis cum vità mortem commutassent, tanti id putarunt rerum scriptores, ut in monumenta publica referre, atq; ad omnem posteritatis memoriam, non sine peculiari omine (nec vano eo, ut eventus docuit) transferre voluerint. Et ne quis Christianos hac in parte supersticiosos adeò, vel ut levius dicam, meticulosos esse existimet, ipsi Ethnici etiam hoc agnoverunt. Nam si verum est illud, quod sub Platonis nomine circumfertur. ὅταν βέλῃαι θεὸς εἰς πρᾶξαι πόλιν, ἀνδρας ἀγαθὸς ἐποίησεν, ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πρᾶξαι πόλιν, ἐξείλε τὰς ἀνδρας τὰς ἀγαθὰς τῆς πόλεως ὁ θεός, Oedipo nobis opus planè non erit; sed qui vis conijcere facile poterit, quid tot tantorumq; virorum obitus portendat. Non enim est ut ob id mali quicquam de tantis viris, quos divina voluntate ex hac vita discedere videmus, quisquam ominetur. Etenim si opinionis nubem, si qua fortè subducta est, scriptura sole dispelli nobis pati voluerimus, atq; ad ejus splendorem accuratius aliquantò rem istam contemplari, vix credo quenquam fore, qui non utroq; pede in meam sententiam ultrò sit descensurus. Duas autem in primis causas reperimus, quas Deus sibi veluti limites habet hac in parte prefixas. Vnam quidem, que mortuos ipsos: Alteram que vivos concernit. Atque ut de priori priùs dicam, tantùm abest, ut ad eos periculi aut mali quicquam ex morte redundet, ut potiùs pro Dei erga ipsos amoris ardentissimi, summèq; beatitudinis signò habenda sit. Sive enim vitam eorum piè laudabiliterq; ante actam contemplemur; sive mortem ipsam intueamur, quid nisi magna, admiranda, & ad felicitatem tendentia omnia videmus? Magna quidem semper fuit apud gentes omnes dignitas, magnus honor eorum, qui ad

Sigo. lib. 10.  
Impèrij, 06.  
cident.



De Sacerdot.  
dialog. 3.

rerum gubernacula sedentes Reipublice partes moderati sunt, adeo ut nihil ex omnibus rebus humanis praclarior aut praestantius esse antiquitas existimarit, quam de Republica bene mereri: Sed in Ecclesia puppi hominem sedere, clavum tenere, inter fluctus turbulentissimos regere, hostes abigere, mysteria DEI dispensare, inter tot tamque immania monstra salutem hominum curare, quid majus, quid sublimius, quid augustius esse in terris potest? Divinitas quaedam videtur munus istud, & est profecto si aqua iudicij lance ponderemus. Etenim qui terram incolunt, inquit Chrysostomus, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quae in caelis sunt dispensent, iis datum est, ut potestatem habeant, quam neque Angelis DEUS, neque Archangelis datam esse voluit. Licet autem magna subeunda sint pericula, multa devoranda molestiae, varij exantlandi labores: Tamen tantum abest, ut istis deterreatur, ut potius nulla re alia animo suo majores stimulos addi sentiant, ad propagandam cum Ecclesia adificationem DEI opt. max. gloriam. Pro hac pugnant, pro hac injurias quasque perferunt, pro hac omnes labores, omnes vigilias, omnes corporis cruciatus, omnia pericula mortis atque exilij, si quae subeunda, parvi ducunt. Fieri igitur nequit, ut quia eo in loco sunt constituti, quo inter homines cogitari major nullus potest, non fame claritate illustrentur, sibique aeternam nominis memoriam, nonnunquam etiam ne cogitantibus quidem, aut desiderantibus ipsis, comparent. Quemadmodum enim verae religioni propositum est purum, & ingenti fulgore resplendens caeleste ac divinum jubar, quod exortu suo omnes minores ignes retundit atque occultat: Sic illorum nomen, qui eam propugnant, non potest diu in occulto latere; sed emergit, & in luce versatur, dumque divini Numinis gloriam propagare laborant, ipsi etiam immortalem nominis gloriam consequuntur. Novimus adhuc pietatis, sanctitatis, constantiae, aliarumque virtutum plenissima nomina illa Gregorij, Basilij, Chrysostomi, Augustini; At non nossemus, nisi ob praclaros in Ecclesia labores eorum commemoratio fuisset ad posteror



posteris propagata. Ita enim prorsus est, ut poeta Melicus  
canit:

Virtus recludens immeritis mori  
Cœlum, negatâ tentat iter viâ:  
Cœtusq; vulgares, & udam  
Spernit humum fugiente penna.

Horat. lib. 3o  
Od. 2o

Quàm demiramur veteres illos Romanos, quoties illorum  
facta & res gestas vel commemorari ab aliis audimus: vel ipsi  
in historicorum monumentis legimus quàm collaudamus!  
quàm felices prædicamus! Decios illos puto, Curtios, Scipiones,  
Catones, & si qui fuerunt alij, qui mortem naturæ debitam pro  
patriâ potissimum reddere voluerunt. At quis non digniorem  
laude judicet Apostolorum vel Patrum aliquem civem Romano?  
quis non præferendum existimet Ecclesiæ Doctorem præfecto ex-  
ercitus? quippe qui pro Dei gloria, pro Ecclesiæ statu, pro alio-  
rum vita & salute vitam & salutem propriam, quâ in his terris  
fruuntur, in discrimen offerunt, omnibusq; omnia fiunt, ut si non  
omnes, tamen plurimos Christo lucrifaciant. Quæret hoc loco  
fortè aliquis, an tu omnes eos tales esse existimas, quibus Eccle-  
siæ cura est demandata? Difficile esse video de omnibus hoc af-  
firmare velle: Fuisse tamen tales desideratissimos atque ob id  
diuturniori vita dignissimos Præceptores nostros, Hunnium,  
Rungium, Gesnerum, Mylium, eheu quod non sunt amplius!  
& esse adhuc quam plurimos nemo iverit inficias. Qui verò  
non sunt, sed instar vulpium in deserto nec ex adverso ascendunt,  
neq; opponunt murum pro domo Israël, ut stent in prælio in die  
Domini, de ijs apud Prophetam jam pridem lata est sententia:  
Erit manus mea super Prophetas, in concilio populi mei non  
erunt, & in scriptura domus Israël non scribentur, nec in ter-  
ram Israël ingredientur. Et vivet quoque horum memoria vi-  
gebitq;: sed ita vivet, ut Hanna & Cajaphæ, qui ad opprimen-  
dum cœlestem hominum magistrum multitudinem concitarunt:  
ut Iuda, qui eum hostibus prodidit: ut Dathan & Abiron, quos  
propter

propter conſpirationem adverſus Moſen terra aperta vivos in  
profundum abſorpsit. Quanquam verò non minus illi ſummi  
viri, quam infimi ac diſſipatiſſimi mortaliſum mortis ſunt ob-  
noxij; Tamen ſciunt non hanc vitam eſſe dicendam, quæ corpo-  
re & ſpiritu continetur; ſed illam, illam qua viget memoriâ ſe-  
culorum omnium, quam poſteritas alit, quam ipſa intuetur æter-  
nitas. Quâ cum mortui etiam vivant, quid mali in eos poteſt  
ex morte dimanare? Inprimis cum propter incertos caſus quo-  
tidie immineat, propter brevitatem vitæ nunquam non poſſit  
longè abeſſe. Da enim ſupremum tempus, Dandonis Illyrici,  
vel Mathuſala non auditam poſtea exſpectemus ætatem, non po-  
teſt videri diuturnum illud, in quo eſt aliquid extremum:

Vide Plin.  
lib. 7, N. H. c.  
48, & Valer.  
Max. lib. 8.  
c. 14.  
Horat. lib. 1,  
Od. 4.

Vita ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam, ſa-  
pientiſſimus Poëtarum inſclamat. Cum hac ſiquidem exceptio-  
ne nobis vita data fuit, ut cui naſci contigit, mori reſtet. Quid?  
quibus quantisq; acerbitatibus atq; periculis expoſitam illorum  
vitam videmus? Eſi enim ſumma eſt muneris iſtius, quo fun-  
guntur, dignitas, amplitudo ac majeſtas: Longè tamen major  
adminiſtrantibus hoc labor incumbit, majusq; imminet pericu-  
lum, quàm cuiquam alij, in quocunq; vitæ genere. Et hæc cauſa  
eſt, cur Moyses & Ieremias in ſeſe ſuſcipere illud noluerint: Hæc  
cauſa, cur Athanaſius, cur Ambroſius, cur alij complures quàm  
agerrimè & penè inviti illi ſeſe præfici paſſi fuerint. Hinc  
Gregorij Nazianzeni, hinc Syneſij Cyrenæi fuga & tergiverſa-  
tio. Nam omnipotentem Chriſtum! quàm certandum illis eſt  
pro Eccleſia! quàm pugnandum contra tam multos, tam poten-  
tes, tam truculentos hoſtes! quàm vigilandum, quàm ſudandum  
pro hominum ſalute! ut quàm debent, pro ijs aliquando coram  
tribunali videntium mortuorumq; iudicis rationem poſſint red-  
dere. Ac tum demum aliquando ad optatiſſimum tranquillita-  
tis portum ex hoc undoſo mari perveniunt, cum corporeis ſoluti  
vinculis ad affluentiffimum bonis omnibus Eccleſiæ æternum  
triumphantis domicilium diſcedunt, in quo laboraſſe, vigilaſſe,  
pugnaſſe

pugnasse cum hostibus, decertasse cum vitiis, omnes exorbuisse  
difficultates vehementer delectaturos eos, & ab omni metu va-  
cuos, ab omnibus laboribus & incommodis liberos, consecuturos  
bona illa tam multa, tam magna, tam admiranda, tam inaudi-  
ta, qua ne mens quidem aut cogitatio capere potest, Christus Ie-  
sus in verbo suo non uno in loco promisit. O beatam igitur & fe-  
licem mortem! Ut letatur sacrosanctus ille eloquentia parens  
(Sic Crinitus eum vocat) Cicero! ut diem illum præclarum ju-  
dicat, quo ex hac turba & colluvione ad divinorum animorum  
concilium sit discessurus! hanc unam ob causam, quod & ali-  
quam nominis sui famam ex suis in Rempubl. meritis posteris re-  
linquat, & magnorum virorum, sibiq. in vita olim familiarium,  
Catonis imprimis sit usus commercio. Quid facere eos existi-  
mabimus, qui populum illum Christi morte ab interitu vindica-  
ssim. ejusdem sanguine redemptum erudierunt, & ad beatam il-  
lam inmortalemq. vitam viam monstrarunt? Nonne gaude-  
ant? nonne gestiant? nonne ultro solvi desiderent, & quem do-  
cuerunt, quem professi fuerunt, cui se totos tradiderunt, cum sal-  
vatore suo Christo esse? Inde est Apostoli illa fidei ac spei ple-  
nissima consolatio, quam ipse sibi paulò ante mortem inculcatam  
voluit: Bonam certamen certavi, cursum consummavi, fidem ser-  
vavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet  
mihi Dominus in illa die, justus iudex. O præclaram & tanto  
viro dignam vocem! Sciebat nimirum divinus Apostolus non  
posse suam mortem miseram esse, cum vita fuisset beata. Sed  
quorsum ista tam prolixè disputo? quorsum? Ut intelligatis  
plane causa nihil esse, ut quisquam mali quicquam tantis viris  
ex morte ominari vel pie possit, vel ullo jure debeat: Quin imò  
felicitatis plurimum eos eà consequi tam certè nobis est persua-  
sum, quam certè ex hac vita eos discessisse scimus? Sed audire  
mihi hìc videor nescio quorum latulentorum suum grunnitum,  
qui in pie defunctorum cadavera impurissimam malevolentia  
humam eructantes sedientesq. jacent, grunniunt, turbatores pa-  
E  
cis ja-

Lib. 2. de ho-  
nest. disc. c. 8.

In Cat. Maj.

2. Timoth.

4. 7.

Plur. in  
Bachid.

eis, jacent: Iacent injusta causa patroni, jacent: Vana illo-  
rum fides est, falsi cultus, falsa religio: Causa perditam est, cecide-  
runt ea, quoniam tam immatura morte ceciderunt. Roma, Ro-  
ma Ecclesiarum mater est, summus Pontifex earum caput &  
Christi vicarius: Hem! Hem! vultim badiza. Video equi-  
dem quam scopuloso & periculoso in loco versetur oratio mea, vos  
ipso consulo Auditores, quid faciendum putetis. Quod si ex isto  
grege aliquis ex me causam sciscitaretur tantum, quid sit, quod  
tot ac tam præclari Theologi, & quidem in ipso ætatis virtutisq;  
flore ac vigore fatis concesserint? Ego illi cum servulo Plautino  
responderem: Quem Diæ diligunt, adolescens moritur, dum va-  
let, sentit, sapit; vos & vestros si ullus Deus amaret, plus annis  
10, plus jam 20. mortuos esse oportuit, qui terræ odium inambu-  
latis. Verum non sciscitantur, sed causam ex præjudicio ultrò  
reddunt. Auditis enim publicos clamores, & tantum non tri-  
umphos eorum, quorum e--sue--vita, heu fatum Lutheranorum!  
Nihil estis respondebimus? Nihil? Nolite, obsecro, nolite pati,  
ut tanta Ecclesia nostra macula aspergatur. Quid enim? Num  
religionis certitudinem ex eorum morte, qui pro ea pugnant, me-  
tiemur? Equidem si hoc stare debet, agere valeat Ecclesia, va-  
leat Christus, valeant omnia mysteria: Vos, vos autem Rhad-  
manthi surgite, surgite inquam, & falsos pronunciate Prophe-  
tas, falsum Baptistam, falsos Apostolos, falsos & stultos omnes  
martyres, qui unquam propter Christi nomen mortem auditu  
gravem, perpeffu difficilem, visu horrendam, iudicio ignomi-  
niosam fuerunt perpeffi: Veros contra pronunciate scribas &  
Phariseos, veros Ethnicos, veros Nerones, veros Iulianos, veros  
Maximinos & alia hominum monstra, que piis inaudita crude-  
litate sublatis terra tulit diatius, omniaq; divina & humana  
vexarunt, violarunt, perturbarunt, everterunt, de se nihil ti-  
merunt. Verum pronunciate Mahometem tot annos jam flo-  
rentem; & facto agmine una omnes ad ipsum ibimus, undè ore  
adorabimus. Cogitent igitur secum isti, & videant quid ve-  
lint. S

lunt. Si enim hoc verum est, quod ipsi contendunt, quae impietas  
sese hoc pallio non poterit tegere? Premo istos, indignari viden-  
tur, mitto eos. Venio nunc ad illam orationis partem, quae pro-  
pria est nostrae questionis, quae vobis exposita simul erit perora-  
tum. Vos quaeso, uti corporibus: Ita animis adeste, & istam ala-  
critatem, istam attentionem, istud silentium vestrum mihi con-  
servate, ut his veluti secundis ventis oratio mea in portum pro-  
vehatur. Magnum dico, prorsus magnum Deus minatur peri-  
culum, quando insignes & de Ecclesia optimè meritos viros ex  
complexu ejus tollit. Hoc enim Deo ter opt. max. inde usq; à  
condito hominum genere veluti in more positum edocti sumus, ut  
quoties hominum sceleribus ad iram commotus populum ali-  
quem, exigente hoc immutabili divinae justitiae regulâ, punire  
voluit, eos prius, quos ob pietatem & vitae sanctimoniam sibi ha-  
bet carissimos, transfulerit ad vitam melioris statum, ne vel ipsi  
imminente clade abriperentur, vel precibus suis ardentissimis  
obstarent, eamq; impedirent. Solent quidem nonnunquam coa-  
cervata, diuturnaq; impunitate elata hominum scelera tantam  
divini numinis accersere animadversionem, ut etiam à corpora-  
li poena ne ipsi quidem p̄y possint esse immunes; sed cum impiis  
simul eam sustinere cogantur. Quemadmodum enim longâ &  
tacita quasi collectione vaporum quorundam densatas nubes  
terribiles tonitruum fragores edere, fulminaq; & grandines  
emittere interdum experimur, ut quemadmodum Poëta canit:

Expatiatam ruant per apertos flumina campos,  
Cumq; satis arbusta simul, pecudesq; virosq;  
Tecta q; cumq; suis rapiant penetralia sacris:

Sic ire divinae hominum flagitiis provocata tanta esse ma-  
gnitudo solet, ut nullo habito discrimine, nullo ullius persona re-  
spectu, nullo cujusquam pietatis intuitu, citra tamen aeternae sa-  
lutis jacturam poena immissa etiam pios saepe numero auferat.  
Sed cum iis, quos ipse Ecclesia sua profecit longè alia via proce-  
dere consuevit Deus, ita ut vel placidissimo mortis genere eos

E 2

avocet,

Ovid. 1. Me-  
tamorph.  
fab. 9.

Ith. 3. Saturn.  
cap. 19.

Gen. 19. 16.

Gen. 8.

4. Reg. 13. 20.

I. Mai. 17. 1.

Num. 11. 17. 1.

avocet, vel viduos etiam sartos tectosq; conservet. Apud Roma-  
nos inter alias bene laudabiliterq; res constitutas memoria pro-  
ditum est etiam hoc in more fuisse positum; sed ut Macrobius  
refert, arcanum & multis ignotum, ut urbem hostium obsessam  
expugnaturi certo carmine inde evocarint tutelares, quos vo-  
cabant, Deos: Quod aut aliter urbem capi non posse opinaren-  
tur; Aut etiamsi posset, nefas existimarent Deos captivos te-  
nere. Eodem planè modo Deus solet cum ministris suis, qui in his  
terrīs sunt veluti Dii tutelares, progredi. Quā de re si cuiquam  
dubij quicquam suboritur, prodeat Lothus, qui Angelorum manu  
Sodomae mœnibus eductus est, ne communi incendio interiret.  
Prodeat ille justitiæ divinæ præfidelissimus Noa, qui toto penè  
hominum genere pereunte cum paucissimis superstes mansit.  
Prodeat Elisæus Prophetarum omnium miraculis celeberrimus,  
quem ex hac caduca vita Deus ad aternam illam transtulit, ne  
Moabitarum tyrannidem videret, vel sevitiā experiretur.  
Usque adeò verum est Propheticum oraculum: A facie malitiæ  
collectus est justus, veniat pax in cubili suo, qui ambulavit in  
directione sua. Beati igitur & fortunatissimi! qui hanc vitam  
labentem immortalī, brevem aternā, miseram beatā, periculo-  
sam quietā, vel potius mortem vitā sic commutant. Nec mi-  
rum videri debet alicui, quod eam illorum precibus vim tribui,  
ut etiam divini Numinis pœnas, quas ob hominum peccata, quæ nō  
sine suspiriis sæpenumerò coguntur intueri, non posse abesse procul  
haud difficulter ipsi queunt animadvertere, vel frangere pos-  
sint, vel omninò avertere. Sunt enim illa veluti compe des, qui-  
bus misericordissimus Deus constringi sese ab ijs, qui in spiritu  
eum invocant & veritate, patitur ut etiam in ipso ira sua fer-  
vore bonitatis recordatus nec possit, nec velit eas pœnas, quas co-  
gitabat, infligere. Etenim si ob unius hominis crimen tota ur-  
bes pœnas rependunt, ut Ascreus vates canit: Cur non Dei mi-  
nistrorum precibus urbs vel regio aliqua conservetur? Quan-  
quam enim de exauditione pijs omnibus facta est promissio:  
Tamen

Tamen nescio quomodo plus ponderis habere apud Deum illo-  
rum intercessio solet, quorum ipse in Ecclesia utitur ministerio.  
Nam si illi non ferre repulsam debet, qui in tribulatione quacunq;  
non vacillante fide ipsum invocant: Quid eos non imperaturos  
existimabimus, quibus Dei mysteria commissa sunt, quibus à Chri-  
sto facta promissio est, quod quacunq; inferne consecerint, illa ea-  
dem supernè Deus rata habere velit, quiq; pro verbi divini con-  
servatione pro infinitorum hominum conversione cum gemitu se-  
penumerò & lachrymis ad Deum preces fundūt? Exempla dabo?  
Tàm multa sunt & prompta, ut in eligendo mihi laborandum esse  
videam. Annon magnus ille plurimarū gentium pater Abraham  
pro perdendis urbibus Deo supplicavit? Supplicavit certè, nec Gen. 18, 23  
supplicasset frustra, si exiguus ille justorum numerus, què inve-  
niri in ijs posse opinabatur, inventus fuisset. Annon Moyses, qui Exod. 17, 13  
cum Deo tanquam familiaris collocutus est, Amalechitarum ex-  
ercitum precibus suis sanctissimis fudit, prostravit, delevit? An-  
non Samuele orante palantes illa Philistinorum Tyrionumq; 3. Reg. 7. &  
copia fulmine fuerunt calitus extincta? Mira & ante illud <sup>seqq.</sup>  
tempus inaudita victoria! Masphath oppidum erat, in quo  
tum temporis jus dicebatur populo Israelitico, quo aliquando  
conerant, ut Deo sacra facerent. Quod simulatq; annun-  
ciatum est Philisteis, instructissimo exercitu urbem accedunt,  
obsident, jam-jam invasuri. Populus repentino metu percussus  
lamentari, suam miseriam conqueri, clamare, Samuelem ad-  
ire, rogare ut Deo supplicaret, nisi universum populum ab imma-  
nissimis hostibus mactari coram oculis suis videre velit. In tàm  
magno periculo ipse nihil territus trepidantes consolatur, con-  
firmat, bono animo esse jubet. Mandat afferi agnum lactan-  
tem, allatum mactat, mactatum ara imponit, impositum incen-  
dit, incensum Deo offert. Interim datò signò utring; acies in-  
struitur, cornua diriguntur, dimicatur. Samuel verò ad aram  
consistere, in altum suspicere, brachia tollere, manus complica-  
re, labia movere, orare ad Deum. Quid fit? Cælum operitur

Marc. 9, 29.

nubibus, oritur tempestas, audiuntur tonitrua, fulmina emittuntur in hostes. Tum spectaculum horribile in campis patentibus sequi, dum hostes incredibili timore perculsi & consternati neq; armis uti, neque omnino facere, neque providere poterant. Alij equos ascendere, descendere alij; alij fugere; non pauci occidi, capi, affligi: Multi acceptis vulneribus neque fugere posse, neque quietem pati, niti modo ac statim concidere. Tandem omnia, qua visus erat, constrata armis & cadaveribus, humus ipsa infecta sanguine. O magna vis precum! quid non efficias, si ex vera ad Deum fide promanas? Hoc isti fecerunt, id est sancti viri, insignes Propheta? Vbi hodie, non dicam ex decem, sed ex decies decem, imò ex millibus unus dabitur? Da, & nobis vir eris! Auditores, auditores ne dixeritis istud. Fuit talis, atque utinam esset adhuc! Sed fuit tamen ille, quem ante paucas septimanas in hac exedra vestris oculis vidistis, differentemq; auribus vestris audivistis, cui heu dolor! ante mensem exequias iuvistis, penè dixissem Mylius, is, inquam, talis fuit. Qui quantum suis precibus potuerit efficere, vel inde colligere vobis promptum fuerit, quod homines miserrimos, qui à pessimo & immundo illo spiritu fuerunt obsessi, septies liberavit. Iam scitis ipsi Christo teste hoc genus ab homine nulla re alia pelli posse nisi oratione & ieiunio. Quoties praterea (utar enim vestra humanitate, quia tam diligenter me attenditis) quoties, inquam, vidi ipsum cum a grotos indiseret, summo Zelo, magno spiritu, ardore incredibili pro ipsis orare, ita ut cum vicinitate mortis ab omnibus penè corporis partibus sensus abcessisset ipso presente adhuc vel convalescere viderentur, vel animum e corporeis vinculis sine ullo doloris signo emitterent. Et cui, quaeso, acceptum referendum putatis, quod aliqua adhuc pace patria nostra fruitur? Nonne illorum, qui Ecclesie praesunt, precibus? Sine quibus si esset, immortalium Deum! quae clades à barbarorum hominum feritate in illam emanasset? Nullam florentem haberemus Rempublicam, nullam videremus Ecclesiam, nemo in agris, nemo in urbibus,

nemo



nemo in domo sua tutus esset, tota Germania vel cinis omnino esset, vel abominanda superstitionum officina: Refugit animus, eaq̄ formidat dicere, quæ pertulissimus. Cum igitur tantum valeant p̄y Doctores apud Deum vel ad impediendas, vel leniendas pœnas promeritas, quid restat aliud, nisi ut illis sublatis non modio, aut trimodio, sed ipso horreo ista ingruant? Fulmen est illa apud Prophetam divina vox: Quæsi de ijs virum, Ezech. 22, 30. qui interponeret septem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni. Et effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumsi eos. O beatam igitur terram illam, quæ tales viros habet! miseram, quæ cum habet, non agnoscit: Illam miserrimam, quæ cum habuit, alios habere nequit! Quid obstupescitis Auditores? Quid expallescitis? Nondum audivistis omnia, restant alia, & majora longè, ex quibus meridiana luce clarius patebit, quam ominosus Ecclesiæ Doctorum obitus omni tempore putandus sit. Etenim si ideo DEVS, ut modò dictum fuit, pios Ecclesiæ Doctores rebus humanis eximit, cogitate, cogitate, quàm graves pœnas tam gravium virorum obitus ijs, qui adhuc in vivis sunt, minuetur. Semper in hoc mundo DEVS, quem propter bonitatem optimum, propter potentiam maximum nominamus, inter homines esse quosdam voluit, qui autoritate & sapientia, alijsq̄ virtutibus insignes præ alijs eminent, ut non modò aliqui essent inter eos ordines; sed etiam ipsa humana societas veluti fulcra quedam haberet, quibus inniteretur. Atq̄ hujus quidem divine institutionis summa est in mundo cum ingenti utilitate conjuncta necessitas. Nam quæ vita nostra foret conditio, nisi aliqui essent & ætate graves, & doctrinâ & sapientiâ supra vulgum exculti? Quæ barbaries? Quæ hominum feritas? Quid? quod hujus sapientissimi Dei instituti inter creaturas etiam rationis expertes clarissima cernimus vestigia. Quid enim? Oculos attolle, suspice, illamq̄ pulcerrimam machinam, & illud scintillantibus stellulis lenissimum domici-  
lium

lium intueri, intueri, inquam, & mirari. Nonne ibi veluti Rex  
& Imperator quispiam constitutus Solest ad cuius ductum ca-  
etera astra sese dirigunt? Nonne suum splendorem aliis imper-  
tit, & quasi mutuo tradit? Ne igitur hac in parte quicquam de-  
esset ad Ecclesiae adificationem, desiderari in sese Deus nihil  
passus est. Nam si prima Ecclesia initia consideramus, videmus  
omni tempore Deum excitasse quosdam doctrina & sapientia  
eximios viros, eosque sanctissimi spiritus sui armis instruxisse, ut  
partim caelestem doctrinam à corruptione & depravatione vin-  
dicando puram ad posteros propagarent: Partim docendo, mo-  
nendo, cohortando homines ab errorum tenebris ad lucem veri-  
tatis, à turpitudine vite ad honestatē morum, à suppliciis aeternis  
ad immortale premium traducerent. Fuerunt enim ante primi  
Mundi interitum atque ita in ipsa nascente Ecclesia multi lau-  
datissimi viri, qui primi omnium parentis sanctissima discipli-  
na imbuti promissionem divinam contra Satanae furores ho-  
stiumque adversantium potentiam acerrimè defenderunt, ut Se-  
thius, Enos, Enochus, & alij permulti. Sic post miserabilem ca-  
tactysmum fuit & floruit in Ecclesia sanctissimus Patriarcha-  
rum ac Prophetarum chorus, qui de venturo liberatore usque ad  
extremum vite halitum fuerunt concionati. Ac ne persequar  
omnia, statim post Christi & Apostolorum tempora fuerunt illa  
Ecclesia lumina & columina Irenaei, Cypriani, Cyrilli, Hierony-  
mi, Augustini. Et quamvis eò tandem permittente divina vo-  
luntate propter hominum scelera Ecclesiae res essent redactae, ut  
eorum incuria qui τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφῆν ἠδονὴν existimabant,  
καταλιπόντες τὴν εὐθείαν ὁδὸν ἐξακολούθησαν τῇ ὁδῷ τῆ βα-  
λαάμ, ut Petrus eos notavit, vera religio plusquam cimmeriis  
tenebris jaceret oppressa: excitavit tamen Deus prestantes vi-  
ros quorum operà sustulit pressum diu caput, inque pristinam di-  
gnitatem, ut nunc habemus, fuit vindicata. Magnum & in-  
gens DEI, ita me DEUS amet, erga homines beneficium! in  
q. o commemorando gentium ille Doctor & θεῶν σόμα vix ver-  
borum

2. Pet. 2, 13.  
de 150

horum satis potest invenire: Ipse dedit, inquit, quosdam Apo- Eph. 4, 11  
stolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores &  
Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in  
adificationem corporis Christi. Quod si verò à Deo tanti viri  
Ecclesie morte subtrahuntur, non potest non id cum ipsius extre-  
mo periculo esse conjunctum. Nam quo majoris utilitatis unum-  
quodq; est, dum habemus: Eò majus detrimentum nos capere  
cum habuimus, quis est quem fugiat? Solem si ex Mundo tollas,  
quod tamen quomodo fieri possit non video; sed si tollas, horren-  
dis omnia replebuntur tenebris; Si trabes in aedibus vel incidas,  
vel demoliaris, nanne illa corruent? At Ecclesie Doctores reli-  
gionis trabes sunt, & quod non miraberis; Sol aliquis, immò Matth. 5, 14  
Christi ipsius testimonio lux Mundi. Is jam sublatis quid,  
quæso vos, futurum est? ne ego dicam vos volo ipsos apud ani-  
mos vestros perpendere. Quamvis enim Deus Ecclesiam suam  
gubernare aliter potuisset; Tamen divina ipsius voluntati pla-  
cuit hominum ministerio inter homines uti, ut ita ipsa Ecclesie  
salus periclitetur, si horum operà destituatur. Tanta semper  
fuit & adhuc est eorum autoritas, qui Reipublicæ præsumt, ut  
ex ijs potissimum ejus felicitas aut infelicitas dependere judi-  
cetur. Nam Phæbea vox est: Talis est civitas, quales sunt  
principum mores. Hinc etatis accuratam in primis rationem Stobæus  
haberi in ijs veteres voluerunt, adeò ut lege cautum à Solone serm. 112.  
fuerit, ne quis admodum juvenis ad magistratum aut consulta-  
tiones admitteretur, quamvis visus esset prudentissimus. Solent  
enim plerumq; in juvenibus, præterquam quod autoritate desti-  
tuuntur, magna esse vehementesq; animi commotiones, quas illi  
sepe numero magis, quam rationis ductum sequuntur. Hinc fit,  
ut ubi tales sunt, novæ opiniones noviq; mores invehantur, qui  
tæquam nummi *ἑτοιμὸν* institutis majorum, & priori vi-  
tæ intermissi, paulatim invalescentes, vetera opprimunt & abo-  
lent, fastidiente seculo antiquitatem. Quod ipsum potest nè un-  
quam fieri absq; gravi concussione corporis Reipublicæ? Vetus

F

illud

illud carmen docet, quo interrogantibus: Cedo qui amisistis  
Rempubl. tantam tam cito? Respondetur, proveniebant Orato-  
res novi, stulti adolescentes. In Ecclesia autem dici non potest  
quantum momenti hac una in parte sit positum. Quanquam  
enim non semper cani, non ruga, non promissa barba spectanda  
sunt, cum nonnulli interdum virtute aetatem superent, & Timo-  
theus jure praefatur Dema: Tamen nisi & auctoritate gra-  
ves, & longo rerum usu periti, & optimarum plurimarumq; ar-  
tium penu instructi, & in vera religione recte instituti sunt illi,  
qui in ea clavum tenent, Deus bone! qui malorum montes ibi  
conspiciuntur? Quae turba excitantur? Quae tragedia, quam  
atroces, quam tristes, quam infausta aguntur! Vera tacet re-  
ligio, falsa auditur; Sinceri cultus mussant, adulterini ingru-  
unt: Vera dogmata eradicantur, errorum herba, quae fecunda  
nimis sunt, profeminantur; Pietas marcescit, impietas succrescit.  
Securitas dominatur: Sacra profana omnia habentur. Hinc  
ambitio, hinc dissidia, hinc factiones, hinc seditioes. O mise-  
riam! o calamitatem! Fallor nisi id divina majestas Zacha-  
riae Propheta sub pictura, ut ita dicam & visionis schemate o-  
stendere voluit. Postquam enim candelabrum aureum ipsi  
monstrasset, quo vera doctrina & religionis sinceritatem in po-  
pulo florituram esse significabat tam diu, quam diu ipse superstes  
esset: Converso ipsi & a tergo statim volumen volans visendum  
exhibuit. Quo ipso haud dubie significatum fuit, quam pri-  
mum natura concessisset Propheta, corruptelarum errorumq;  
pestem grassaturam, quae veram sinceramq; religionem sit extin-  
ctura, & ei inductura funus. Paulus certe Apostolus, qui omni-  
bus fere nationibus errore & superstitione cecis, in illa teterrima  
nocte verbis factisq; facem prae tulit, absque ambagibus, absq;  
verborum involucre Ephesina Ecclesia multis lachrymis predi-  
cit, quod post suam discessionem lupi rapaces venturi sint non  
parcentes gregi, & exsurrecturi viri loquentes perversa. Quid  
igitur tristius, quod periculosius potest Ecclesiae accidere, quam  
si &

Cap. 4. & 5.

Act. 20, 29.

si & p̄y, & graves, & docti, & sinceri Doctores mortalitati eri-  
piuntur? Hoc erat, quod largissimè profusis lachrymis rex loas  
verebatur, cum morti vicinum videret Eliseum Prophetam: Pa-  
ter mi, pater mi, exclamans, currus Israël & auriga ejus. Hoc 4. Reg. 13, 14.  
erat, quod decumbente Ambrosio animo presagiente metuebat Sigon. lib. 10.  
Stilicho, dum preces fieri ad Deum ab omnibus volebat, ut que Imper. oc-  
tanti viri morte minaretur pericula, clementer averteret. cident.  
Quod si accensâ faculâ historicâ prospectum retrò in prisca illa  
secula fecerimus, quàm timebimus! quàm trepidabimus! Am-  
brosium mortuum videmus? Videmus barbaras gentes commo-  
tas armisq; instructas Italiâ invasisse, debellasse, vastasse. Au-  
gustinum animam agere cernimus? Cernimus Vandalos ar-  
matus in Africâ incursiones fecisse, agros populatos esse, urbes  
& castella oppugnasse, miserabiles strages edidisse: Cernimus  
Arianam postem procella restar irrupisse, religionem immutasse,  
ingentem hominum multitudinem corrupisse, seduxisse, perdi-  
disse. Quid post Elisi mortem acciderit ex Scripturâ notum  
est, qua vix sepulto ipso, atq; eo ipso anno quo mortuus ille fuit,  
Moabitas in terram venisse testatur. Evolvite jam omnes or-  
dine univ̄sa Scripturâ sacra libros à Mose facti initio, Iudi-  
cum & Regum Historiam consulite, prophetias replicate, mo-  
numenta δεόπνευστα reliqua diligenter excutite, vix credo ul-  
lum dari posse ex insignioribus illis, ut Spiritus sanctus eos pas-  
sim nominat, populi pastoribus, qui absque aliquo conversionum  
publicarum motu, ex genere humano fuerit sublatus. Vel enim  
Religionem videmus aliquam passam Eclipsin; vel Remp. ad  
minimum afflictam esse, & in extremum discrimen adductam.  
Atque utinam hoc exemplis vetustatis tantum nobis cognoscere 4. Reg. 13, 20.  
liceret, ut etiam nunc ambigere possemus: Sed nostra ipsorum  
mala nullum jam nobis penitus reliquerunt dubitandi locum.  
Parietes isti, me Christe! ista scamna, ista pulpita tacitò testimo-  
niò quodammodo comprobare videntur. Quid? Nonne ille ex-  
tra muros suavius idem videtur vobis confirmare, quoties vehe-

*ventiori murmure deslere & lugere illum apparet fatalem & tristissimum diem, quo post beatissimum B. Lutheri obitum immanes illos barbaros, crudelitatem & sevitiā spirantes vidit, vidit? Immo etiam gladios ore transversos gestantes in sinum suum recepit. Quæ cum ita sint, quod Deus tam eximios viros, quos Ecclesie suæ concessit, ex hac colluvione ad se in cælestem beatitudinem transferat, & quidem ideo, ut irritatus hominum peccatis graves pœnas à populo expetat, vos ipsi cogitate, quid ominus sit, quod tot & tam insignes viros, tanta firmamenta Ecclesie, tanta ornamenta Patriæ, tanta præclarissimarum virtutum laudandarumq; artium lumina hoc tempore è statione sua evocavit. Quid ò misericordissime Pater (dabis enim dolori nostro ut apud te queramur paulisper) quid, inquam, paras? Usquequò Domine? irasceris in finem, accendetur velut ignis Zelus tuus? Quare factus est dolor noster perpetuus? & plaga nostra desperabilis renuit curari? Num obliti sumus nominis tui? num iniquè egimus in Testamento tuo? Num recessit retrò cor nostrum, & manus nostras expaudimus ad Deum alienum? Non pater clementissime non, plane non. Quare igitur futurus es in terra quasi colonus, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, & fortis qui non potest salvare? Duplicatus ac triplicatus est gladius intersectorum. In portis nostris dedisti conturbationem gladij, gladij acuti & limati ad fulgendam, gladij amicti ad cædem. Heu gladium occisionis magna, qui obstupescere nos fecit, & corde tabescere, & multiplicavit ruinas! Domine, Domine usquequò? Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Adjuva Deus salutaris noster propter gloriam nominis tui, Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Sed quò me dolor abripuit? Ignosce Pater clementissime, ignosce: Tu justus es, utiq; justus es in omnibus viis tuis, & sanctus in omnibus operibus. Scelera, scelera & peccata nostra commerita sunt, ut ad  
alia*

Psal. 78, 4.

Psal. 44.

Ier. 14, 8.

Ezech. 21, 14.

Psal. 78.

Psal. 144, 17.

alia Ecclesie gravissima vulnera hoc tantum vulnus sit adje-  
ctum. Est aliqua humani ingenij perversitas, nescio unde ea,  
ut nos rerum maximarum etiam & utilissimarum, cum habe-  
mus, statim capiat satietas, & ne semel quidem cogitemus, aut  
soliciti simus, quare ratione illis frui quam diutissime queamus:

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quaerimus invidi,  
experientia edoctus Venusinus Poeta scripsit. Quod si ullibi  
alias, certe vel maxime in Ecclesia, & ijs, quae ad eam spectant,  
verum esse deprehenditur. Verbi sui puritatem Deus concedit  
regioni aut populo? Quis pro divino beneficio id agnoscit? Quis  
dignas gratias agit? Insignes mittit Doctores? Quis curat hoc?  
Mirabimur ergo si stellis Ecclesiae insignibus remotis Deus non-  
nunquam putidum fungum aliquem projicit, ut tum demum no-  
stra intelligamus bona, cum, quae in potestate habuimus, ea ami-  
simus. Illi quidem beati, qui exuti mortalitate nostra omnibus  
bonis affluentem illam immortalitatem sunt adepti, & quae af-  
ferre molestiam aliquam poterant, videre desierunt. Nos vero  
miseri & infelices, qui in hoc exilio relictis illis spoliati sumus,  
qui Ecclesiae afflictissima & pene extrema spe pendenti succurre-  
re, eamque miris modis adjuvare potuissent. O inanes cogitatio-  
nes hominum! O spem fallacem! O ludibria infelicis miseraeque vi-  
tae! Quae cum in manibus habere arbitramur, cum nos frui pos-  
se quam diutissime speramus, derepente avolant, & in media  
letitia ac voluptate deserunt omnibus sensibus hiantes & im-  
minentes. Gaudebat antea, se sequi mirum in modum recreabat  
tantis ac tam fidelibus suis ministris Ecclesia quae nunc ijs, si mi-  
nus extinctis, certe divulsis & abstractis, luctu & squalore pene  
confecta, atraque veste & capillis passis miseriam suam sic deplo-  
rare videtur; O me miseram! O me inopem! O me derelictam  
ab omnibus! Quid conquear? Vbi aut cui conquear? Homi-  
nibus? At nemo audit, nemo curat, surdis narro fabulam. Deo?  
Ab quam vellem! nisi ob peccatorum meorum peccata avertisse fa-

Horat. lib. 3.  
Od. 24.

siem suam vererer. Vnde enim tot & tanta & tam diuturna ma-  
la, quæ conjurasse in meum caput videntur? Vix aliquot anni  
sunt, cum ex servitute, à vitis & stupris, quæ per vim mihi im-  
purissimi homines inferre conabantur, liberata fui. Ah quam  
tum gaudebam! quas mihi spes non fingebam? Sed heu vanas  
& inanes illas! Tot annos mihi Turca pestem minatur & tor-  
menta, quæ tamen hucusq; meis precibus depuli, ejusq; crudelita-  
tem à meorum jugulis, à visceribus & membris averti, & adhuc  
avertarem: Sed heu me miseram! Est quidam, qui se meum tu-  
torem, meum patrem, cæli clavigerum mentitur, propter eum  
unum tota in metu sum, quicquid increpuit illum timeo. Ah  
quam sevit, & adhuc sedit in mea viscera! Quam indignis,  
quàm pessimis modis me habuit! ex meo gremio natos meos ad  
gladios, ad cruces, ad flammam rapuit: Mihi verò quas insidias  
& quàm diu struit? Armis, armis castrisq; res tentatur. O scelerat  
caput! ille meus tutor? ille meus pater? Tot me res circumval-  
lant miseram, ut unde emergi possit, non videam: Egestas, vis,  
solitudo, injustitia. Et quod mihi lachrymas extorquet in pri-  
mis, tot fideles & optimè de me meritos ministros mors abstulit.  
Heu misera mihi! Quibus oculis, quo animo illorum funera  
aspexi? Nunc illud est, quod si omnes omnia consilia conferant,  
mihiq; salutem querant, vix aliquid auxiliij afferre queant.  
Video nunc, video in me grassantem Turcam, video stringentem  
acimacem: Video mihi insidiantem Papam, video minitantem  
pericula. Video ostendentem vincula, quibus constringere me co-  
cogitat: Video alios, heu video & vereor! Menè in hac tempo-  
ra, in hac mala servatam? Tu, tu Deus me respice, me conserva,  
tuares agitur. Sic, inquam, Ecclesia conqueri & suam mise-  
riam deplorare videtur. Convertite nunc animos in omnes  
Germania partes, & quoniam oculis non potestis, mente, & cogi-  
tatione circumspicite, ejusq; statum cum his sanctissimis & tri-  
bissimis Ecclesia vocibus conferte, quid videbitis? Suspecta &  
suspensa omnia, non aliter atque in domo male sulta signa pluri-  
marui-



ma ruina. Contemplamini, quaeso, Ecclesia statum in Austria, in Pannonja, & locis aliis, quibus lachrymis, quibus suspiriis prosequemini? Quis verbis possit exponere crudelitatem & savitiam, quam Antichristi satellites in veritatis confessores exercent?

— — arma crepant, arma, arma loquuntur.

Peream! nisi perisse dixeritis ipsam humanitatem in feris istis, & ferinis hominibus. Heu miram miserandamq; faciem!

— pellitur paternos

In sinu ferens Deos

Et uxor, & vir, sordidosq; natos

Quid verbis opus? Ut annuum omnium confluxus in Oceanum: ita cladum videtur hoc aëvo in Ecclesiam. Et presentia tantum nunc recensco, quid de ijs statuendum putatis, quae imminet? Profecto non immerito aliquis cum Vate Tragico exclaimare queat:

κακῶν δ' ὁ τάλαντος πέλαγος εἰσορῶ  
τοσάτων, ὡς ἔμῃ ποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν,  
μήδ' ἐκπερᾶσαι κύμα τῆσδε συμφορᾶς.

In tanto igitur tantorum malorum concursu, cui non ominosus videatur, tam insignium magnorumq; virorum obitus? Sed enim nos consolari illud debet, quod adhuc sunt alij permulti summi viri, quos non tantum in messem suam misit Deus: Sed ipse etiam haud dubie Ecclesia cura afficitur, quam ad seculi consummationem usque se conservaturum promisit. Eum igitur si toto pectore dilexerimus, si opem ipsius ardentibus precibus imploraverimus, si peccatorum veniam ab eo petiverimus, imminetia pericula cervicibus nostris avertet, Ecclesiae vulnera & contritiones sanabit, vim dexterae suae cohibebit, nosque omnes diutius contra hostium conatus clementer tutabitur. At vos, viri magni, quos in Ecclesiae excubiis constitutos videmus, macti, macti, inquam, animis, gerite bella Domini, quod facitis, Christo duce alacres, confortamini, & robusti este, neq; ad dextram neq; ad sini-


Hor. lib. 2o  
Od. 18o

Euripid. in  
Hippolyt.  
coron.

ad sinistram defleſcite, non labor vos advocet, non hostium poten-  
tia & virulentia deterreat. Præstate vos Hunnios, præstate vos,  
Rungios præstate vos Gesneros & Mylios, ut sentiant Ecclesia &  
veritatis hostes, vos viros, vos Theologos esse. Sic, sic, quam fecit  
Ecclesia, jactura compensabitur: Sic vos vigiliarum laborumque  
vestrorum non solum hic inter homines magna: Sed in cælo et-  
iam divinitus infinitis partibus majora feretis præmia. Vos  
enim misera hujus vite confectio, curriculo ad se in cæleste re-  
gnum suum Christus recipiet, & sempiternam illam atque im-  
marcescibilem coronam capitibus vestris imponet, neque vestris  
tantum, sed & illorum omnium, qui diligunt adventum ejus  
Quod ratum esse velit autor, & auctor Ecclesie Deus  
unus & trinus, cui in omnem aternitatem glo-  
ria debetur & imperium.

Epi-





Epitaphium D. HUNNII.

# Saxo sepulchrali incisum

in æde parochiali VViteberg.

D. O. M. S.

## ÆGIDII HUNNII

S. S. THEOL. D. ET IN ACADEMIIS  
MARP. PER ANN. XVI. VVITEMB. XI  
PROFESSORIS, ECCLESIAE  
HUIUS PAST. ET IN ELECT.  
SAXON. SUPERINTENDENT.  
CORPUS SUB HOC TUMULO SEPULT. EST.  
QUI NATUS ANNO CHRISTI M. D. L. DIE  
XXI. DECEMB. PIE IN DOMINO  
ANNO SALVAT. M. D. C. III. DIE  
IV. APRIL. OBDORMIVIT,  
CUM VIXISSET ANNOS LII,  
MENSES III. DIES XIV.

*Luc. XII.*

BEATI SERVI, QUOS VENIENS  
DOMINUS INVENERIT VI-  
GILANTES,

*II. TIMOTH. II.*  
NOVIT DO-  
MINUS QUI  
SINT SUI.

*PHIL. I.*  
VITA MIHI  
CHRISTUS;  
MORI LU-  
CRUM.

G

Epita-



Epitaphium D. RUNGI,  
Qui sepultus est in arcis  
basilica. VViteb.

DEO OPT. MAX. SACR.

HIC SITVS EST

DAVID RUNGIUS

POMER. S. S. THEOL. DOCT.

QUAM ET IX ANNOS PUBLICE  
PRIVATIMQ; CUM FIDE ET  
LAUDE SUMMA HIC PROFESSUS EST.  
TRIUM LING. LATINÆ, GRÆCÆ  
HEBRAICÆ, SED ET OMNIS  
DOCTRINÆ LIBERALIS PERITISS.  
MAGNI INGENII PARITER AC JUDICII  
DISPUTATOR SUBTILIS AC PERSPICAX:  
CANDORE, MODESTIA, PACIS  
STUDIO, AC MORUM SUAVITATE  
OMNIBUS CARUS ÆSTIMATUS.  
ROSTOCHIUM V. CL. DAV. CHYTRÆI  
SUCCESSOR SERIO SEDULOQ; EVOCA-  
TUS, NON IRE: SED HIC MORI  
DEBUI: QUOD ANIMO-  
SISSE FECIT NON.  
QUINCTIL. ANNO ÆT. XL.  
CHRISTIANO c. l. s. CIV.

Epita



Epitaphium D. GESNERI

Cujus exuvia in eadem basilica communi hominum matri ad diem usq; restitutionis omnium concreditæ sunt.

EPITAPHIUM

PIETATI ET MEMORIAE REV.  
ET CL. VIRI,

SALOMONIS GESNERI BOLESлавIA SILESII,  
S.S. THEOL. D. ET PROFESS.

IN SCHOLA QUIDEM ANNOS XII  
LEGENDO AC DISPUTANDO:  
IN TEMPLO HOC ANN. X. CONGIONANDO:  
UTRINQ; FIDE ET INDUSTRIA OPT. MAX.  
QUI INGENIO, DOCTRINA, JUDICIO, ELO-  
QUENTIA, ZELO RELIGIONIS ET  
VITÆ INTEGRITATE PAR SUMMIS  
ÆVISUI THEOLOGIS:  
MONUMENTIS DE DOCTRINA CHRIS-  
TIANA EDITIS NOMINI SUO FA-  
MAM; PIETATE DOMUM ÆTER-  
NAM SIBI VIVUS CURAVIT.

---

HÆREDD. HOC, QUOD EST  
E SAXO P. C. DEFUNCTO  
VII. EID. FEBR. ÆTATIS SUÆ XLVI,  
CHRISTI 1615 CV.

G 2

Epita-



Epitaphium D. MYLII

Quod cernere licet in tem-

plo parochiali VViteb. ubi corpus ejus,  
præstantis. animæ olim-domicilium  
sepultum jacet.

DEO OPT. MAX. SACR.

HIC SITVS EST

GEORGIUS MYLIUS

AUGUST. S. THEOL. D

ECCLËSIARUM ELECTOR. SAXONIC. SU-  
PERINTENDENS GENERALIS,

ET ACADEMIÆ VVITEBERG. PROFESSOR  
(QUONDAM ETIAM JENENSIS) PRIMARIUS:

AUTORITATE, CONSTANTIA, ZELO PIETATIS,  
ELOQUENTIA ADMIRABILIS.

HOSTIUM CHRISTIANÆ RELIGIONIS  
TERROR:

MAGNI LÜTHERI SPIRITU ET VERITATE  
MAGNUS DISCIPULUS,

CUM LUCTU ET DESIDERIO BONORUM  
OMNIUM MORTALITATI EREPTUS

ÆTATIS SUÆ LIX.

CHRISTIANO 1615. C. VII.

CUI HÆREDES HOC QUICQUID EST E SAXO  
MONUMENTUM

ZACH. 8.

TANTUM VERITA-  
TEM ET PACEM  
DILIGITE.

P. C.

PRETIOSA IN CON-  
SPECTU DOMINI MORS  
SANCTORUM EJUS.

PSAL. 115.

INFE-

I N F E R I Æ

Ad tumulos quadrigæ hujus Theologicæ.

**M**AS lacrimas vobis, atque hæc suspiria magni  
 Pro meritis parvum munus habete viri,  
 Parvum, haud inficior: sed quò vix dignius ullum  
 Manibus hoc vestris tempore ferre queam.  
 Virtutes vestras hinc usq; ad sidera notas  
 Non decet exiguò deterere ingenio.  
 Eximios decet eximios laudare: relictum  
 Mi præter gemitus est lacrimasq; nihil.  
 Si majora queam, vobis majora tulissem,  
 Quæ possum, illa fero: hæc thuris habete loco.  
 Et tu præ reliquis nostrâ ò spes unica! MTLI,  
 Hæc grata mentis symbola sume meæ.  
 Ah! MTLI, MTLI! vocem cognoscis? & audis  
 Rauschardi gemitus ad tua busta tui?  
 Osi! Sed quid si? Nihil est: frustra omnia, quamvis  
 Totus ego gemitu diffuere, & lacrimis.  
 Frustrâ, inquam, nihil est: lex illa adamantia Fati  
 Denegat, & saxum hoc quod tua membra tegit.  
 Ergò QUIESCE tuâ, pater alme, QUIESCE suburnâ:  
 Alme QUIESCE pater, perpetuumq; VALE.  
 Tempus adest, quando saxum hoc frangetur & urna  
 Voce DEI, & nobis restituendus eris.  
 Tunc animas inter castas, catusq; piorum  
 Te cernam aternum concèbrare Deum.  
 Intereâ quoties tristis lux illa redibit,  
 Quâ moriens MTLIUS desijt esse meus;  
 Tristis erò totus, latasq; ciebo quærellas,  
 Ad tumulum & lacrimis humida ferta feram.  
 Iamq; QUIESCE tuâ, pater alme QUIESCE suburnâ  
 Alme QUIESCE pater, perpetuumq; VALE!

M. C. R.

I.  
Ad Ornatissimum doctis-  
simumq; Dn. M. Cunradum  
Raußhardt.

**S**I facies cæli nova cernitur, omen inesse  
Credimus, & quivis facta futura canit:  
Æthereas tentare domos, inquirere sortes,  
Nostrâq; in cælum stultitiâ ire juvat.  
Dum justus perit immatura morte peremptus,  
Quis credit signum muta sepulchra dare?  
Nulla subit fati, aut sortis tum cura futura,  
Cum nulli signo major habenda fides.  
Sed tibi non ita mens leua est Cunrade, ai fertè  
Dicendo signa hæc dum potiora mones,  
Signa mones, nec vana mones, cum funere justì  
Nobis funestum nil nisi funus habet.  
Quando perit justus, non pol perit, anteit aternam  
In requiem, sed nos tristia fata monent.  
Ergo Deum prece placemus, fortasse benigna,  
Quod nunc imposuit, sorte levabit onus.

M. Jacobus Werenberg. H.

II.  
NULLA SALUS FISCO CHRI-  
STUM NOS POSCIMUS OMNES.

**A**ST genus (ò durum!) mortale per arma, per hostes  
(Haud ignota loquor) percussum currit amore  
Vab! nimio Fisci, neglecto cardine CHRISTI,  
In quo stat nostræ cælestis firma salutis

Ancho-



*Anchora: quid? pietatis amor toto exulat orbe,  
 Iustitia restat saltem & probitatis imago  
 Nubila, sic scandit teterrima Machina muros,  
 Sic struit horrendus Stygio Polyphemus in antro  
 Insidias Christo: sic vesci sanguine gaudet  
 Mortali: atque hebetat nobis penetralia totis  
 Christi pertæsis, ut vix det cura quietem  
 Cordibus heu! Fisci placidam, ô mala tempora nostra!  
 Impietate gravi jamdudum saucius illà  
 Christus nos, vacuo cælestis ventre minatur  
 Heu passus punire, febre, belloque cruento,  
 Dum passus Stygiis errores surgere ab umbris,  
 Ordine dum subito quatuor clarissima fontis  
 Lumina salvifici, paradysi rore beavit.  
 Nonne malum hoc nobis miseris predicere grande  
 Sæpe solet? qua nunc animo ab fiducia surgit?  
 Nate Deus, clypeus, spes ô fidissima nostra  
 Vna salus miseris semper sperare salutem  
 Alme tuam (multò quamvis graviora meremur)  
 Parcito supplicibus, maneant ut sacra statuta  
 Salva tua, & pietas, probitas, Ecclesia salva.  
 Funera qui lachrymis spargens Cunrade virorum  
 Tantorum, rapuit quos inclementia mortis  
 Dira, humectasti Musarum grandibus aulam  
 Heu mœstam guttis, Christus (que talia curae  
 Sî cælo est pietas) olim pro talibus ausis  
 Præmia persolvat: tu instructos arte Pelasga  
 Pellere perge tuâ strepitus Rauscharde Minervâ  
 Candida perpetuò MTLII vestigia querens.  
 Sic Fiscò queres contemptò ritè salutem  
 Christi, sit, laudes & sic tua fama manebunt.*

Georg. Paal Stad. Sax. L. L. Stud.

ÖT]s

Ὅτ' ἔπεσον κίων βαρὺ ἤχων ὑψιπόλων,  
 Ἐνθ' ἀσκήριτον μέγαρον τάχα ἤριπε καλόν;  
 Ἐγχείοντε πέσεν δεδμημένον ὄρχαμνον ἀνδρῶν,  
 Καὶ τόθ' ὅλοις λυγρῶ μὲνον ἔσῆκει θανάβοιο.  
 Πήματα δειδάμεν δ' αἰνῶς κατὰ τὴν φρένα ἀμμες,  
 Μὴ πῶθ' ἰσπερ μεγέθυς κοτέων μὲν ἀτασθαλίῃσιν  
 Ἡμετέρῃ ὀλέση πάντας, μάλα περ μακρόθυμον.  
 Ὅς χ' ἡμῖν ἄτε κίου ἀφείλετο ποιμένα λαῶν,  
 Μὴ ποτε κείνον ὄρα κακὰ ὀφθαλμοῖσιν ἐοῖσι.  
 Τῶνεκεν ὦ ραυχάρδε πέλη νῦν ἀξίεπαινον,  
 Ὅς τάδε πάντα ἐκόσμησας ῥ' ἀνθεσσι λόγοιο:  
 Σοῖο ἄκρουντας πάντας, μέγα εἶλετο θάμβον,  
 Λεύκορις εὐλογίας τε τεῆς ἐπιμάστου ἔσαι:  
 Τῆσδε μὲνον ῥήτρης σαυτὸν θήσει πολύφημον  
 Ἐς χρόνον ἀενάον θ' ἔξεις χ' ἠδισον ἄκρομα.

Valentinus Multzius Schlaccen-  
 yaldo-Bohemus,

FINIS.

Gb 777. I

800

ULB Halle 3  
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS  
 ILLUSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATVS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDT

104


In splendoribus singularis imo celestis hominis filia



nomis sub tanta vniuersalitate  
solentur reuerentur de regione  
guina. **H**odie cadet pulcherrima  
filia populi sui & omni patris obliu  
fama sancti spiritus micata sed igne  
materiali consumata. **H**ierem cor dicit  
ad fidem inclinauerat sed iam in  
pergustando deitros amplexus  
deit per respicere eius concupierat  
in illa iunamur & filia audierat  
quia celestis pater illa ut reuerret  
in uocauerat **S**ancto igitur narcho  
in predicante factum ad mensam pa  
tris redit. **E**t cum illum cui male  
adheret deseruit. **E**t que centum ca  
dos olei dno suo redere debuit.  
**A**ccpta cautione sacramentorum  
scribit sibi quinque & promeruit  
esse illa **S**ic multi in retroactis era  
ribus redire a suis errantibus. **S**ic ma  
na magdalena sic mulier illa chana  
neque per postquam negauerat  
redit. **E**t paulus xpi uoce perstrat  
responit. **M**arthe a tunc dicitur ipse  
pater redit pcomio. **E**t sacheu lico

**C**us qui hunc di  
nati uerbum transt  
cruas ad eum missa  
is uoce coniecta  
mus: ut dumis pati  
nam formam: qui bec  
uocam fieri precepit  
is dominus noster  
**H**ic martiris offi  
cipit. **F**olla.  
peccauerunt. **F**olla.  
illa tuam quoniam  
supplicium p picius  
que te impudice de  
tatis maria ma  
de locum eius  
saltequatur.  
**D**onati martiris  
**V**na condicione





21

G I A

QUI

Æ T A M E N

TISSIMO, ET

oso Theo-

TI BREVI

multis morta-

in omnium

LECTUS TE-

ratissimos pro-

andi gratiã

cademia,

CH ARDO

ago.

neri.

II.

11 5

21.

